AD LEGEM ACILIAM DE PECVNIIS REPETVNDIS,

M ANNO AB VRBE CONDITA 631° VEL 632°.

COMMENTATIO LECTA IN CONSESSV ACADEMIAE REGIAE BEROLINENSIS
DIE 11. MENSIS IVLII ANNI 1861

AB

ADOLFO FRIDERICO RVDORFFIO
AVCTORE

BEROLINI
TYPIS ACADEMICIS
1862.

IN COMMISSIS F. DVEMMLERI REDEMPTORIS,
NVNC HARRWITZII ET GOSSMANNI.

AD LEGEM ACILIAM DE PECVNIIS REPETVNDIS,

LATAM ANNO AB VRBE CONDITA 631° VEL 632°.

COMMENTATIO LECTA IN CONSESSV ACADEMIAE REGIAE BEROLINENSIS
DIE 11. MENSIS IVLII ANNI 1861

AB

ADOLFO FRIDERICO RVDORFFIO
AVCTORE.

BEROLINI
TYPIS ACADEMICIS
1862.

IN COMMISSIS F. DVEMMLERI REDEMPTORIS,
NVNC HARRWITZII ET GOSSMANNI.

Gelesen in der Akademie der Wissenschaften am 11. Juli 1861. Die Seitenzahl bezeichnet die laufende Pagina des Jahrgangs 1861 in den Abhandlungen der philosophisch-historischen Klasse der Königl. Akademie der Wissenschaften.

Facturus veteris illius pecuniarum repetundarum legis interpretationem, quam legem, more potius quam iure, Serviliam appellare consuevimus, de propositi et instituti ratione praedicendum esse iudico.

Igitur quum ante hos triginta septem annos iuvenis Berolinum studiorum causa venissem ibique in Clementis Klenzii disciplinam primum, mox familiaritatem me applicuissem, in hospitali viri domo acceptus benignissime, quotidie fere interfui studiis, in quibus tum non modo occupatissimus ille, sed tantum non totus erat. Versabatur enim in componendis illis septem fragmentis aheneae tabulae, cuius in parte adversa lex, quam dixi, pecuniarum repetundarum, in aversa vero agraria lex scripta exstat antiquitus. Neque tanto studio ac fervori defuit eventus. Nam recta fragmentorum, superiorum certe inter se et inferiorum inter se, accommodatio processit, quam potuit prosperrime. Ac superiora quidem intellego duo illa ultrata, quae novissimus editor, Theodorus Mommsenius, dextratum A, sinistratum B littera significavit. Inferiora contra dico citrata, quorum quod ad oram tabulae usque sinistram porrigitur, E litteram, quod huic proximum atque etiam coniunctum fuerat, nunc vero deperditum est, C litteram, quod denique, modico ab hoc hiatu separatum, dextrorsum abit, D litteram ab eodem editore et interprete notam accepit. Iam ut A illud Ritschelii tabulae XXV^{ae}, B XXIII^{ae}, C XXV^{ae}, D XXIV^{ae} respondere manifestum sit. Neque vero in coniungendis tabulae fragmentis acquiescendum sibi Klenzius putavit, sed etiam deperdita pleraque in integrum restituere conatus fuit.

Ita biennio post typis impressa prodibant ‚*fragmenta*' illa ‚*legis Serviliae repetundarum*', nulli tum peritorum hominum non pergratum munus et acceptissimum.

Quin etiam agrariae legis in postico eiusdem tabulae latere scriptae editio in votis semper ac proposito principi repetundarum formae editori remansit. Quam quum ei fortuna invidisset, equidem viri erga me benevolentissimi, praematura morte intercepti, hoc deberi memoriae ratus, animum sine mora induxi alteram hanc incepti ab eo laboris partem, quoad eius facere possem, ad finem quendam usque perducere. Defuncto itaque ante hos viginti tres annos Klenzio absolvi tempore brevissimo quam et seorsum edidi et in ephemeridibus iuris historicis publici iuris feci, de lege ‚*Thoria*' agraria commentationem: nondum enim tum mihi probatum fuerat, ne hanc quidem legem suo nomine appellatam, sed alii cuidam, quam Sp. Thorio, tribuno plebis adscribendam esse.

Quamquam ne illud quidem me ab initio praeteriit, quae Klenzius bellissime sane orsus fuerat, verum nimio, opinor, perficiendi studio absolverat festinantius, ea quo aequabilius ad finem usque pertractarentur, laminas denuo inspiciendas ac describendas, rubricas spatia lacunas hiatus accuratius, quam in ‚*fragmentis* suis *minoribus incertisve*' Klenzius fecerat, distinguendas, denique sartis tectis exigendis ubique secundas easque acerrimas curas impendendas esse. Nihilo tamen secius egomet ipse quominus ‚*Serviliae*' suae legi retractandae manum inicerem, retinebar adhuc quadam verecundia. Qua religione nunc demum liberatus sum, post ea quam Theodorus Mommsenius inter inscriptiones latinas auspiciis academiae regiae Berolinensis editas n. 198. I pag. 40-72 ‚legem repetundarum a. u. c. DCXXXI vel DCXXXII' proposuit, eandemque praefatione, forma aeri incisa, qua fragmentorum situs litterarumqne tam exstantinm quam deperditarum nnmerus significatur, enarratione, adnotatione illustravit. Is enim inscriptiones quatuor laminarum, quae hodieque exstant (exstat vero laminae A pars superior, exstant laminae B C D), ad tabulas Ritschelianas XXIII XXIV XXV suaque enotata ex ipsis tabulis Neapoli et Vindobonae facta exegit. Deperditorum fragmentorum, hoc est laminae A partis inferioris exemplum Mazochianum, laminae E exemplum Ursinianum, illud quidem cum suis naevis accurate imitari visum fuit. Praeterea superiores lamellas A B cum inferioribus C E D novissimus idem editor rectius quam anterior coniunxit. Quum

enim observasset, extremos versus tabulae A adiunctae huic a dextra tabulae E summis versibus continuari, versum legis XLV ita composuit, ut in eo A 41 E 1 B 45 se exciperent, quum apud Klenzium E 1 A 40 B 45 coniungerentur, quo facto Klenzianum versuum totius legis numerum uno versu auxit, iam ut pro octoginta novem versibus Klenzianis nunc nonaginta numerentur. Quo facto laminae A cum E coniunctae locum suum ad sinistrum tabulae marginem certius quam antea adsignavit. Postremo litterarum, quae fuerunt olim, integris etiam tunc totius tabulae versibus, numerum, inita (p. 54) ratione satis probabili, quadringenarium fere, excepto tamen primo versu maioribus litteris exarato, computavit, quotque de eo numero litterae in hiatibus singulis excidisse viderentur, apposito cuique versui uncisque incluso numero significavit. Ac sic quidem adornata eorum, quae exstant, editione, congestis quae de legibus repetundarum ante Sullam dictatorem latis ubivis prodita memoriae sunt, definitaque huius ipsius legis aetate, ad supplenda deperdita, ad rubricarum totiusque legis enarrationem auctor accessit. Cuius operis institutum pag. 75 quibus verbis ipse definierit, quo certiores inter nos fines regerentur, hoc loco adscribendum putavi.

‚In enarranda, inquit, cum hac lege tum magis etiam agraria a solita et huic syllogae in universum unice apta brevitate aliquantum recessi; neque id factum est sine causa. Nam in monumentis, quae verborum ordinem plus minus continuum exhibent, perpetuo commentario opus esse non solet; quae enim ibi difficilia et obscura inveniuntur, plerumque pauca sunt prae iis, quae facile leguntur et sine explanatione plana sunt. At in his laciniis, maximi iis quidem momenti cum ad linguam antiquam pernoscendam tum ad rei iudiciariae plenam accuratamque notitiam percipiendam, tamen nulla sententia superest integra, sed fracta omnia sunt et quasi quodam turbine divulsa, ut sine enarratione supplementisque nihil fere assequare neque quantumvis doctus nisi examinata re et perpensa singula recte intellegas. Id movit me, ut quae ad has leges ab aliis recte disputata reperissem vel per viginti annos (tot enim effluxerunt, ex quo in eas data opera inquirere coepi) ipse adnotassem, huius libri causa digererem et ordine exponerem, hoc in ea re consilium secutus, ut quae accepimus ita fracta, ut ex residuis de parte deperdita aliquam coniecturam capere liceat, ea quantum fieri potest redintegrarem, abstinerem antem ab eorum consuetudine, qui plane incertas et cuivis argumento facillime accommodandas reliquias supplementis obscurant

magis quam illustrant eaque in legem inferunt, quae ut vera sint, tamen in lege ita scripta fuisse nullo ex ea ipsa petito argumento demonstrare possint. Similiter raro in eo elaboravi, ut verba ipsa recuperarem — hoc enim quam sit plerumque vanum, vere prudentes non ignorant, sed hoc volui, ne speciosa supplementorum et plenitudine et sollemnitate lectorem minus peritum quodammodo fallerem, sententiarum tamen ordinem qui fuerit breviore quam commentariis adscriptis fieri potuit ratione significarem. In supplementis quae a prioribus accepi, maxime Klenzio Rudorffio Huschkio, quid cui debeatur, in gravioribus tantummodo monui; nam in hoc genere minimum quodque inventum ad suum auctorem revocare et infinitum est neque satis conciliatur cum horum studiorum gravitate virorumque illorum ipsorum non talibus minutiis indiga auctoritate. Denique quantum fieri potuit cavi, ne legis repetundarum enarratio transiret in commentarium de forma quaestionum perpetuarum; quod quam proclive fuerit, doctiores sentient. Eamque ipsam ob causam de toto legis argumento praefari non placet, nisi quod commodum erit capita legis quo modo se excipiant hoc loco proposuisse coniuncta.' Haec ille hactenus.

Quo opere absoluto, ne acta agerem, in his quidem rebus, quae sunt artis epigraphicae, Mommsenianae editionis (pag. 58-63) enarrationis (pag. 49-54) adnotationis (pag. 64-74) fide standum esse, nulla mora fuit, quin intellegerem.

Restitutoris vero et interpretis officiis ita functus sum, ut in Mommsenianis non subsisterem. Quum enim nulla tali epigraphici operis, quod studiorum futurorum veluti fundus esset ac fundamentum certissimum, quali Mommsenius, lege alligatus essem, coniecturis etiam in his, quae meae provinciae sunt, opinabilia quaerere institui. ‚Coniecturis', dixi, nec inconsulte, nec, opinor, immerito. Neque enim huius modi incepto perficiendo sive historiae adminicula, sive consuetae artis criticae regulae sufficiunt, sed integrae legis formae contemplatione ac fere dixerim divinatione quadam opus est.

Qua de re imprimis structura legis inspicienda erit, quandoquidem quae in tabulae aheneae fragmentis antiquae nescio cuius pecuniarum repetundarum legis reliquiae exstant, eas neque interpretari quemquam recte, neque explere hiatus immensos mutilatasque ad unam omnes sententias reficere probabiliter posse manifestum est, quin, quo ordine scripta universe lex fuerit, cognitum ante compertumque habeat explo-

rate. Legis vero structura sane quam commode ex titulis perspicitur, qui sunt singulis quibusque capitibus praescripti fere ad similitudinem edicti perpetui, quod per Salvium Iulianum compositum est. Quo edicto et ipso lex quodammodo continetur, scripta ordini iudiciorum privatorum. Contra ab agraria lege, multo angustius in scabro tabulae postico latere exarata, omnes omnino indices absunt. In hac vero repetundarum forma, incisa illa in anticum aeris laevigati latus, rubricae, de quibus dixi, aut referunt solummodo indicantque, quibus de rebus in quaque particula agatur, veluti ,De patrono repudiando' et ,De nomine deferundo iudicibusque legundeis', aut praecipiunt etiam, quid praetorem, quaestorem, iudicem facere populus Romanus iubeat vetetve, quo in numero sunt illa ,Praetor utei interroget'; ,Iudex deinceps faciat, pr[*incipe defuncto*]'; ,Iudex nei quis disputet'; ,Quaestor moram nei facito' et alia id genus complura. Nam ubi de minore magistratu, velut de quaestore, lex loquitur, imperativo modo utitur, ubi de praetore et iudicibus, coniunctivo. Uno sane loco, quo praetori praecipit, quem ad modnm re divina, sorte et urna, litem decidere oporteat, maiori etiam magistratui imperasse videtur. ,[*Praetor*]' inquit ,rem agito', id est causam sortibus iudicum in urnam coniectis finito. Itaque faciendum putavi, ut imprinis instar illud et quasi faciem totius operis proponerem. Acto igitur omnium rubricarum, quae exstant, quasve fuisse probabile est, veluti recensu, meo indicio index procedit capitum numero LXX, tredecim quam Mommsenianus, qui LVII habet, rubricis locupletior:

Vers. 1. (*Praescriptio legis.*)

v. 1- 8. (*De pequnia capta quomodo ex hac lege iudicium fiat.*)
v. 8- 9. De heisce dum mag(istratum) aut inperinm habebunt, ioudicium non fiet.
v. 9-11. [*De patroneis dandeis.*]
v. 11-12. De patrono repudiando.
v. 12-14. [*De CDL vireis in hunc an*]num legundis.
v. 14-15. Quos (praetor) legerit, eos, patrem, tribum, cognomenque indicet.
v. 15-17. De CDL vireis quot annis [*legundis.*]
v. 17-19. Quos (praetor) legerit, eos patrem tribum cognomenque indicet.
v. 19-26. De nomine deferundo indicibusque legundeis.

v. 26-27. [*Iudicum patronorumque nomina*] utei scripta in tabuleis habeantur.
v. 27. Eisdem ioudices unius rei in perpetuom sient.
v. 27-28. [*Quei pequniam ex h(ace) l(ege) ceperit, id eiei fraudi nei siet.*]
v. 28. [*Nomina publice sc*]ripta sient.
v. 29. [*Res utei quaeratur ab eo, quei postquam nomen delatum erit, mortuos fue*]rit aut in exilium abierit.
v. 30. 31. [*De inquisitione ex h(ace) l(ege) facienda.*]
v. 32. 33. *De testimonio denuntiando testibusque cogendeis.*
v. 33. De inro[*ganda multa.*]
v. 34. 35. *De testibus producendeis.*
v. 35. Praetor utei interroget.
v. 36-38. [*Iudices antequam primum causa deicatur utei iurent.*]
v. 37. 38. *Ioudicum nomina in contione recitentur proscribanturque.*
v. 38. Ioudex neiquis disputet.
v. 39. [*De re proferenda.*]
v. 40-41. [*De nomine refere*]ndo.
v. 42. 43. [*De absente condemnando.*]
v. 43. [*De nomine ex reis eximendo.*]
v. 44. [*Iudices in consilium antequam ibunt, utei iurent.*]
v. 45. 46. Iudice[*s*] multam supremam de[*b*]ea[*nt.*]
v. 46. [*Nomina ad quaestorem deferantur.*]
v. 46. 47. [*Iudices in co*]nsilium quomodo eant.
v. 48. [*Iudices HS. n.* ↀ *populo debeant.*]
v. 48. [*Debitorum nomina ad quaestorem deferantur.*]
v. 47. 50. [*De*] reis quomodo iudicetur.
v. 50-52. [*Praetor*] rem agito.
v. 53. *Pronontiationis faciundai causa sortiatur.*
v. 53. 54. *Praetor sententias pronontiet.*
v. 54. De n[*umerandis sententiis.*]
v. 54. [*De reo apsolvendo.*]
v. 55. De reo condemnand[o.]
v. 55. [*De iudicio dimittendo.*]
v. 56. [*De iudicio iterando.*]
v. 57. 58. [*De praedibus dandeis bonisve vendundeis.*]

v. 58. 59. De leitibus aestumandeis.

v. 60. 61. [*Pequnia ex aerario solvatur.*]

v. 62. 63. [*De tributu faciundo.*]

v. 63. 64. [*De tempore a iudice stat*]uto servando.

v. 64. [*Quei aberit, eius portio*] in aerario siet.

v. 64. [*De die prodeicenda.*]

v. 64. [*De die proscribenda.*]

v. 65. [*De tributu proscribendo.*]

v. 66. [*Reliqua pequnia*] post quinquenium populei fiet.

v. 67. [*De pequnia a praedibus exigenda.*]

v. 67. 68. Pequnia in fiscis opsignetur.

v. 69. [*Quaestor extra ordinem solvito.*]

v. 69. Quaestor moram nei facito.

v. 70-72. [*Iudicium nei quis impediat.*]

v. 72. 73. (*Caput*) *Iudex deinceps faciat pr*[*incipe defuncto* (*omissa inscriptione.*)

v. 74. 75. [*De rebus iudicatis ex lege Calpurnia legeve Iunia.*]

v. 75. De praevaricatione.

v. 76-78. De ceivitate danda.

v. 78-79. De provocatio[*ne immunitat*]eque danda, (*sed medio sermone abrupto.*)

v. 79-81. Iudex deinceps faciat pr[*incipe defuncto.*]

v. 81. 82. [*De rebus iudicatis ex lege Calpurnia legeve Iunia.*]

v. 82. [*De praevaricatione.*]

v. 83-84. [*De ceivitate danda.*]

v. 85-87. [*De vacatione immunitateque danda.*]

v. 86. 87. [(*De praemiis ceivi Romano dandeis*).]

v. 88. *De iis quibus ex hace lege militiae vacatio erit.*

v. 89-90. (*Incerta de praemiis, ut videtur*).

Singulae rubricae spatiis vacuis et ante et post relictis servantur, praeterquam sicubi duo capita artius inter se coniuncta sint, veluti capita de CDL viris legendis et capita ,Quos legerit, eos patrem tribum cognomenque indicet'. Ibi enim in posterioribus rubricis spatia relicta vacua non sunt. Ex diverso v. 87 ante praemiorum civi Romano dandorum commemorationem spatium quidem relictum, at rubrica praemissa nulla est. Ea spatia,

praeeunte Mommsenio, eadem nota signavimus, qua hodie paragraphos distingui receptum est.

Has igitur rubricas si quis diligentius ponderaverit, nulla fere opinor, de ordinis ratione dubitatio in mente ei residebit, dumne illud memoria exciderit, legum, quae de pecuniis repetundis latae sunt, proximam quamque fuisse prioribus acriorem.

Qua ratione, novo praetore repetundis instituto, equitibusque Romanis in nobilitatem concitatis, publica hac lege severissimaque in senatorium ordinem iudicia inventa sunt, nulla antea cum fuissent, nisi quae fere privatorum instar, datis recuperatoribus, lege Calpurnia legeve Iunia inter cives et peregrinos a praetore peregrino exercerentur: civibus enim quum essent ereptae pecuniae civili eas actione et plane privato iudicio repetitas fuisse certum est.

Quae quum ita essent, faciendum fuit imprimis et latori legis et scriptori, ut novam iudiciorum, quae ex hac lege futura sint, primis versibus XVIII formam generatim adumbraret et universe.

Deinde usque ad XXXIII^um versum inducendae fuerunt personae iudicum, patronorum, indicum, quadruplatorum, reorum, comitum, testium, qui singulis quibusque iudiciis adfuturi sint.

Tertio loco, eoque ad versum septuagesimum excurrente, definitum esse apparet, quemadmodum singula iudicia exerceantur, testes uti producantur, tabulae conquisitae quomodo proferantur, quando iudicium differri liceat, iudices uti iurent, in consilium eant, iudicent, de reo ex sortibus quo modo pronuntietur, lites quanti aestimentur, quibus ablatae pecuniae fuerint ii aestimatis litibus in tributum uti vocentur, pecunia de bonis condemnatorum quo pacto exigatur, servetur, publice solvatur.

Denique ultimo loco a versiculo septuagesimo ad nonagesimum definitur universe: ne quis iudicio impedimentum faciat, agiturque de praevaricatione accusatoris, quaeque praemia dentur accusatori Latino peregrinove, quin etiam civi Romano, qui reum peregerit. Eaeque res omnes usque adeo deinceps recensentur perfecte ac singillatim, ut praeter sanctionem legis vix quidpiam videatur desiderari posse, quantumvis licet iniuria temporum finem tabulae truncaverit.

Idemque significare videtur manifesta quaedam ad finem properantis operarii titubatio. Quae enim capita legis inde a versiculo LXXII° usque

ad versum LXXIX^mum^ scripta fuerant, ea a versu LXXIX° ad versum LXXXIV^um^ eisdem verbis intellegimus scripta iterato esse. Causam repetitionis quaerendam puto in mero errore artificis, si tamen conductitia servilisve sculptoris aerarii opera, qui affabre incidere plane nesciret, artificii nomine digna est. Rem enim ita fere gestam fuisse mihi persuasi. Quum ad vocem ‚[*cei*]vitate' ille pervenisset, idque verbum in aes incidisset, perspectum primum fuit, (ab ipso an a librario, qui opera eius usus fuerit, in medium relinquam) praescriptionem illam ‚*Iudex deinceps faciat*' ante verba ‚*Sei is praetor*' versu LXXII^do^, nec minus verba ‚*eo magistratu*' eodem versu inconsulto esse praetermissa. Idem versu LXXIV *deferatur* verbum in *deiuraturum, magis* in *magistratus*, utrumque vocabulum per compendium scribi ratus, pessime transformaverat, sequente versu LXXV° *maiorei partis* pro *parti* posuit, versu LXXVI° *eo eo iudicio* pro *eo ioudicio* scripsit. Hoc amplius ‚*vacationis*' vocabulum versu LXXVII cum ‚*vocationis*' verbo, vulgari ac plebeia vocis figura, commutaverat, indidemque per nimiam imperitiam atque socordiam vel in ‚*provocationis*' nomen aberraverat. Ac praeter hos errores, qui ex iis, quae exstant, sine ulla mora cognoscuntur, pleraque alia addita omissave esse, litterarum deperditarum spatia suadere videntur. Quid faceret? Quo minus suis locis omissa insereret, impedimento erat angustia spatii, quod est inter verba ‚*feretur*' et, *Sei is praetor* (versu LXXII) interpositum. Versus non minus septem numero delere vel inducere per peculatus quidem suspicionem periculosum non dixerim: quod enim lege peculatus tenetur qui quid in tabulis publicis deleverit vel induxerit, (L. 8 § 1 D ad L. Iul. pec. 48, 13) ad instrumenta referendum est, non ad leges: poterat tamen propter falsi crimen dubiamque futuram tabulae fidem arduum videri. Abiecisse totam tabulam propter septem versuum vitium, nimium putabatur. Quid ergo? Id egit sive artifex sive librarius quod utilissimum visum fuit idemque facillimum. Statim initio versus LXXIX^i^ abrupit medium sermonem et post vocem ‚[*ceiv*]itate' inserta inscriptione ‚Iudex deinceps faciat pr[*incipe defuncto*] ‚adscriptis deinde verbis ‚eo magistratu', et vocibus *deiuraturum, magistratus, maiorei partis, eo eo iudicio* in voces *deferatur, magis, maiorei parti, eo ioudicio* transformatis, fortasse etiam correcto verbo ‚*provocatione*', universum locum repetivit longe quam antea emendatiorem. Quamquam quod pro verbis ‚*satisfactum erit*' (versu LXXV) contra quam apta verborum constructio exigebat, secundo loco (versu LXXXII) posuit

‚satis fecerit', in eo iterum lapsus esse videtur. Repetitum vero semel sine ulla intercapedine ulterius locum produxit. Nam etsi post vocem ‚ceivitat[*e*]', ubi id verbum iterum integrum exstat, (versu LXXXVI) paucissima hodie verba supersunt, satis tamen dilucide ea ipsa verba demonstrare videntur praemiorum causam ibi continuatam atque etiam ad cives Romanos accusatores extensam esse. Sed enim eiusmodi delictum committi potuisse mirum non erit in ea civitate, quae legum custodiam tum nullam habebat, in qua tabulae publicae magistratuumque pericula infimis apparitoribus, scribis, librariis et similibus committebantur, ubi per scribam praeconemve subiiciente scriba verba legis recitari populo pro concione moris erat, usque adeo, ut maiestatis reus fieret si quis codicem (id quod C. Cornelius in tribunatu fecerat) pro rostris ipse recitasset (haec enim referunt Asconius in Cornelianam p. 58, 60, Appianus B. C. I. 9. 12.), in qua denique civitate fieri poterat, ut domi saepe et festinanter leges in aes inciderentur, ac, quamvis in aes incisae et in aerarium conditae essent, utique etiam erroris corrigendi potestas fieret. (Cic. de leg, 3, 20. Verr. 3, 79. 183. p. Mil. 32, 17. Suet. Caes. 28). Fateamur quidem necesse est, ubi de CDL viris et in hunc annum et quotannis legendis, itemque quibus locis de excusationibus actoris, rei, iudicum agitur, (versu XII-XIX, et versu XXXIX-XLIV. XLV. XLVI), ibi bis, imo etiam ter eisdem fere verbis similia proferri, neque id ulla alia de causa factum videri, quam quod res ipsae, quibus de agitur, coniunctae inter se connexaeque sunt: atqui non video, quo pacto id impedimento sit, quo minus in alia parte legis ille, de quo modo dixi, intervenire error potuerit bellissime. Itaque totum locum, qui incipit a versu LXXII° et usque ad versum LXXIX porrigitur, quum is mero opificis errore duplicatus esse videatur, inclusum uncis, excludendum lege iudicavi.

Adhuc de lege disputatum fuit universe. Iam singulas partes exploraturus praemonendum esse existimo, quid de meo addiderim. Itaque Romanis numeris versus legis, nostratibus versiculos laminarum, uncis inclusis lacunarum spatia denotavi. Hiatuum mensuras tanto explevi elementorum numero, quantum, emendata, quam in tabula adiecta inierat, computatione, (cf. pag. 54) ad marginem textus sui Mommsenius notavit. Singulorum tamen supplementorum inventores pigitum est rettulisse. Putavi instituta collatione curiosum ad investigandum lectorem, quid cuique debeatur facile esse inventurum, ideoque fastidiosa hac opera supersederi posse.

Praescriptio legis, mea quidem sententia in hunc modum concepta fuit.

I. (120) *M' Acilius Glabrio ..f(ilius) tr(ibunus) pl(ebei) plebem iure rogavit, plebesque iure scivit in ..... a(nte) d(iem) .... Tribus ...... principium fuit, pro tribu ...... us .. f(ilius) primus scivit.*

Quamvis enim in duodecimo legis versiculo legantur verba: ,quibus h(ance) l(egem) populus plebesve iouserit', tamen non est quod dubitemus, quin ambigua haec populi plebisve commemoratio ob id solum recepta fuerit, quod scripta quidem, nondum vero perlata rogatione, praesagiri non poterat: consulne, praetorve, quibus cum populo agendi ius erat, an tribunus plebis, cui nisi cum plebe agere non licebat, eam legem rogaturus esset. Perlata vero, et perlata quidem a tribuno plebis rogatione, nonnisi tribuni plebisque, non consulis populique interponi praescriptioni legis commemoratio potuit. Ideoque explenda fere praescriptio fuit ad id exemplum, quod exstat in lege, quam C. Antonius, Cn. Cornelius et Fundanius, tribuni plebis, de senatus sententia super Termensium maiorum Pisidarum immunitate plebem rogarunt, non ad instar eius legis, quam T. Quintius consul de aquae ductibus rogavit populum.

Verum progredior ulterius.

Neque enim mihi tempero, quin etiam nomen rogatoris reponam, quamquam non audeo cautam in ea re Mommsenii reprehendere cunctationem, quum praesertim, ex quo de pecuniis repetundis a. u. 605 lata lex fuit, nulla antea quum fuisset, tot leges secutae sint, et proximae quaeque, ut Ciceronis verbis (de off. 2, 21. 75) rettuli, prioribus duriores.

Atque illum quidem rogatorem nullum alium quam M' Acilium Gabrionem fuisse, patrem illius Glabrionis, quo praetore (ut a Cicerone in Verr. Act. I. cap. 2 § 4 relatum est) C. Verres causam dixit, si non plena, certe semiplena maiore (ut iure consultorum more loquar) mihi probatione effecisse videtur qui et princeps et novissimus ea de re disputavit Theodorus Mommsenius in ephemeridibus quibus inscribitur *Zeitschrift für Alterthumswissenschaft* 1843 p. 824 n. 26 et in corpore inscriptionum Latinarum (1860) p. 56, item Car. Tim. Zumptius in commentatione prima de legibus iudiciisque repetundarum, lecta in consessu academiae regiae Berolinensis a. 1845 § 11 pag. 20-26, quique eodem tempore eandem sententiam proposuisse dicitur H. Haggius in programmate gymnasii Glückstadiensis a. 1845, cuius ego exemplum nondum vidi.

Si enim illud imprimis exploramus, quae sive repetundarum sive alterius generis leges, hanc, de qua agimus, proxime praecesserint, quinque leges antiquiores in hac lege sive nominatas sive demonstratas esse intellegimus. Et primum quidem Calpurniam illam L. Pisonis, latam. a. u. c. 605, qua lege sunt quaestiones perpetuae constitutae [1]. Secundo loco Iuniam, Calpurnia, ut e versibus XXIII. LXXIV. LXXXI intellegitur, aetate inferiorem, Semproniis, ut mox videbimus, superiorem. Tertio Semproniae iudiciariae praecepta quaedam significantur versu XVI et XVII. Quarto trium virorum agris dandis adsignandis mentio fit, institutorum lege Sempronia agraria (v. XXII). Postremo loco ipsum Rubriae legis nomen incurrit, de coloniis Carthaginem deducendis latae a. u. c. 631.

Quo argumento quum effectum sit, post annum 631 latam esse repetundarum, qua de agitur, legem, consequens est, ut quaeramus, quae leges illam secutae sunt, Serviliam dico et Corneliam, eae quibus annis adscribendae sint.

Ac primum quidem una eademque tabula praeter repetundarum legem agraria illa continetur, quae semet ipsa duobus versiculis, LIV^{to} et XCV^{to}, P. Cornelio L. Calpurnio consulibus, hoc est anno ab urbe condita 643°, latam esse profitetur. Nunc scripta agraria lex est in postica tabulae parte. Sequitur, repetundarum legem, quae occupat anticam, incisam antea fuisse. Quis enim dixerit scabro prius tergo, quam laevigata fronte, postico prius, quam antico latere ad eam rem usurum fuisse opificem! Quin eo processit nuper Mommsenius, ut statueret, nullam aliam ob causam refixam a. u. 643 tabulam, anticum latus, in quo repetundarum lex continetur, ad parietem conversum, posticum, in quo agraria scripta est, lecturis obversum esse, quam quoniam eo ipso anno, Servilia lege lata, repetundarum lex abrogata sit. Quod quamquam me non fugit, quam sit ab eo disputatum acute, tamen residet mihi scrupulus, quid sit, quod in locum abrogatae haudquaquam nova repe-

---

(1) De lege ipsa consulendus est Cicero in Bruto, 27, 106, de off. 2, 21, 75. Verr. 3, 84, 195. 4, 25, 56 et in Schol. Bob. ad or. p. Flacco p. 233, 24. Tac. ann. 15, 20. Val. M. 6, 9. 10. Festus v. religionis p. 285. M. Auctor legis cognomen frugalitatis primus familiae intulit, (Schol. Bob. p. 233, 23) consul(a. 621) de fugitivis victoriam ex Sicilia reportavit, (Val. M. 2, 4, 17. Cic. Verr. 4, 49) annales perscripsit, (Lachmann de font. hist. Livii I. p. 32), sed tamen C. Graccho inimicus capitalis fuit. (Cic. p. Font. 13, 29. Tusc. 3, 20, 48. Schol. Bob. p. 233, 24).

tundarum, sed diversa prorsus agraria lex successit? Itaque abrogatam quidem repetundarum legem circa annum 643 fuisse non est dissimile veri. Enimvero Serviliam eo ipso anno latam esse nego mihi liquere. Hoc solum largior, *post* eum annum, quo anno refixa tabula fuit, latam Serviliam non esse, quoniam valida etiam tum lege vetere, refixa tabula et conversa non esset. Refigi enim leges tum demum, quum sublatae abrogataeve sint, nemini incognitum est: ,*acta*' inquit Cicero (Philipp. 13, 3) ,*Antonii rescidistis, leges refixistis, per vim et contra auspicia latas decrevistis*' et Vergilius (Aen. 6, 622): ,*Fixit leges pretio atque refixit*'. Verum potuit Servilia *ante* ineuntis belli Iugurthini annum rogata esse. Nam ut domesticae rationes ante gestum admittunt, post relatum, ita multo magis publicae et repetundarum et agrariae leges potuerunt aliquanto post quam latae essent, in aes incidi, quoniam legum custodia tum fere nulla erat. Neque recte obiiceretur Memmia rogatio de Iugurtha Romam ducendo, quo facilius, indicio regis, Scauri et reliquorum, quos pecuniae captae arcessebant, delicta patefierent (Sallust. Iug. 32), neque invidiosissima illa lex Mamilia, qua lege C. Limetanus tribunus plebis sequente anno (644) quaestionem instituit in eos, qui ab Iugurtha in legationibus aut imperiis pecunias accepissent, effecitque, ut C. Galbam sacerdotem et quatuor consulares, L. Bestiam, C. Catonem, Sp. Albinum, ,civemque praestantissimum L. Opimium, Gracchi interfectorem, a populo absolutum' (haec enim sunt verba Ciceronis in Bruto c. 34, 128) Gracchani iudices sustulerint. Nam Gracchani iudices tam vetere lege fuerunt, quam fuerunt severissima lege Servilia. Hoc solum dici potest C. Glauciam, improbum illum quidem sed acutum et ridiculum hominem, nec minus infestum quam infensum nobilitati, a qua ,stercoris curiae' nomen tulit (Cic. Brut. 62, 224. p. Rab. p. 6, 14. de Or. 3, 41, 126), quum anno u. c. 654 praetor cum L. Saturnino furoris socio perierit, posse videri per leges annales *circa* annum 643 tribunum plebis fuisse.

Neque praeter hoc ipsum Mommsenium ex coniectura sua quidquam deduxisse fatendum est. Quod vero Klenzius olim statuerat, consulari Q. Servilii Caepionis lege iudiciaria (aut non perlata aut mox sublata) iudicia equitibus a. 648 adempta, praetoria C. Servilii Glauciae a. 654 reddita fuisse, id cum repetundarum lege non convenire, et dudum Mommsenius monstravit (Zeitschrift für Alterthumswiss. 1843 p. 823) et repetivit in corpore inscriptionum p. 46.

Glauciae lex valuit donec Cornelia lege L. Sullae, lata illa a. u. c. 673 abrogata fuit. Sic enim illa refertur a Cicerone, ut videatur Corneliae praecessisse nulla interposita: ‚*hoc totidem*' ait ‚*verbis translatum caput est, quod fuit non modo in Cornelia, sed etiam ante in lege Servilia*' (p. Rab. P. 4, 9). Neque ibi Q. Caepionis legem significat a. 648 latam, quae fuit iudiciaria, sed C. Glauciae de pecuniis repetundis, relato capite illo ‚*Quo ea pecunia pervenerit.*' Itaque rei facti dicuntur nominatim lege Servilia fere usque ad Corneliam latam: C. Cosconius c. a. 652 (Val. M. 8, 1, 8), T. Coelius et C. Maso c. a. 656 (Cic. p. Balb. 23, 53 et 24, 54) P. Rutilius damnatus a. 662 (Cic. p. Scauro aput Ascon. p. 21 Or.), M. Aemilius Scaurus a. 663 (Ascon. p. 21, 15).

Iam, si Servilia lex abrogata fuit per Corneliam, sequitur, eam, de qua quaerimus, a Servilia diversam esse ideoque errore manifesto teneri viros doctos, qui eam Sigonii fide C. Glauciae adtribuerint.

Cui ergo tribuno eam ipsam legem adiudicabimus? M' Acilio, patri, an tertio alicui eique ignoto?

In qua quaestione illud iam constat, Glauciae legi proxime antecedere Aciliam illius M' Glabrionis, qui fuit Scaevolae (Quinti Mucii consulis a. u. 621 eiusdemque iuris peritissimi) gener, M' vero Glabrionis, qui praetor in C. Verrem iudicium exercebat, pater: id enim faciunt verba Ciceronis in Verr. act. I cap. 9. Nam comperendinationis, id est novi agendi diei et iteratae actionis, severitatem confert cum ampliatione illa mitissima absolutionisque futurae haud raro praenuntia ‚*Glaucia*' inquit ‚*primus tulit, ut comperendinaretur reus: antea vel iudicari primo poterat vel Amplius pronuntiari. Utram igitur putas legem molliorem? Opinor illam veterem, qua vel cito absolvi vel tarde condemnari licebat. Ego tibi illam Aciliam legem restituo, qua lege semel accusati, semel dicta causa, semel auditis testibus condemnati sunt.*' Rursus nostrae legi proxime antecessisse Iuniam versibus XXIII° et LXXIV° (LXXXI) efficitur, ubi post Calpurniam memoratur lex, quam M. Iunius D. filius tribunus plebis rogavit et ex utraque lege refertur sacramento agi potuisse. De auctore et tempore legis Iuniae nihil certi memoriae proditum est. Vix tamen est ut ad alium Iunium referatur praeterquam ad M. Silanum, qui princeps ex sua familia a. u. 645 consul factus, adversus Cimbros re male gesta accusatus a Cn. Domitio propter unius hominis Egritomari paterni amici atque hospitis iniurias apud

populnm et ipse fuit, tametsi non constat an is Decimum aliquem patrem habuerit. (Cf. Cic. Brut. 35, 135. Cornel. I. Ascon. p. 67. 80 in Q. Caecil. div. 20, 67 in Verr. act. 2 lib. 1 c. 51, 135. Sallust. Iug. 43. Vell. 2, 12. Flor. 3, 3. Eutrop. 4, 27. Borghesi, Annali vol. 21, a. 1849 p. 9). Nec recte diceretur tum necesse esse, ut Iuniam post Gracchos demum latam fuisse statuamus, quod sacramenti, hoc est privati iuris actioni et simpli aestimationi parum responderet. Est enim longe similius veri, M. Silanum, novum hominem, tribunatum suo anno inisse, quam consulatum. Qua de re Zumptius eum paulo post Calpurnium, Mommsenius circa annum 620 tribunatu functum fuisse coniecerunt.

Sed quoquo modo haec res se habet, illud certe in ambiguo non erit, si non ad ipsam legem Aciliam has reliquias rettuleris, locum eis adsignandum esse inter Aciliam et Iuniam et eum quidem locum, quo ad Gracchana tempora accedant quam quae proxime.

Id enim primum verborum flagitat prisca atque obsoleta vetustas. Nam etsi horridula illa et incompta formula, quae est in litteris senatus de Bacchanalibus ad Teuranos datis a. u. 568 (videsis Mommsenii inscr. n. 196 v. 28), *,ubei facilumed gnoscier potisit'* iam cessit comptiori huic *,ubei de plano recte legi possitur'* (v. LXVI), neque etiam *,donicum solutum erit'*, ut in lege venditionis apud Catonem de re rust. c. 146. 149 *,sed donec solutum erit'*, quo idem Cato c. 150 alternis usus est, in lege (v. LXV) solum inveuitur, scribitur tamen *,arvorsario'* et *,avocarier'* et *,abducier'*, (v. LXXI) ut in eadem illa epistula consulum ad Teuranos ex superiore saeculo superstite, ubi *,gnoscier, figier'* et alia id genus leguntur, quae quum in agraria lege frustra quaesiveris, necesse est repetundarum legem ante annum u. c. 643 ex usu recessisse. Quibus quae accedunt *,parti, sorti'* (sexto casu), *,tributus', ,gnateis', ,vireis', ,faciundai', ,quaerundai'* et similia, ea et ipsa apud Plautum (Men. 3, 2. 14. Cas. 2, 6. 28. Epid. 2, 2. 43) et Catonem (Non. 3, 252) et in Scipionum elogiis (videsis Mommsenii inscr. n. 34. 35. Ritschelii praef. ind. schol. Bonn. aest. a. 1860) redeunt.

Deinde quaedam res in lege commemorantur, quae post C. Gracchum interfectum statim evanuerunt. Quo de genere sunt tresviri agris dandis adsignandis (v. XVI. XXII), instituti lege Sempronia Ti. Gracchi a. 621 remotique post annos quindecim a. u. 636. Item lex Rubria de colonia Iunonia, sublata a. u. 633, huius vero legis latae tempore nondum abrogata

(v. XXII). Quibus quo minus tertio loco provocationem adnumerem, a M. Fulvio Flacco consule a. u. c. 629 sociorum causa institutam, qui civitate mutari cuperent, impedimento dubitatio est, de qua ad versum LXXVII. LXXVIII. LXXXIII. LXXXIV dicendum erit.

Iam vero, quominus legem medio quodam inter Iuniam et Aciliam loco constituamus, ipsa temporum ratione prohibiti sumus. Quae ratio duabus ex rebus maxime perspicitur, ex Acilii educatione et Rubrii tribunatu.

Esse enim M' Acilium bene institutum avi Scaevolae diligentia, nec nisi sua ipsius neglegentia ac socordia tardatum Cicero auctor est in Verrem I c. 17 § 51. 52. Brut. 68, 239. Quem, si rebus opinabilibus coniecturisque indulgere liceret, posset, vel praeeunte Mommsenio, tentari, ea de causa in P. Mucii consulis a 621 eiusdemque avi materni (nam filiae Ti. Graccho et M' Acilio patri nupserant) domo educatum fuisse, quod in turbis Opimianis a. 633 cum Rubrio et Graccho pater et ipse perierat.

Accedit, quod hunc ipsum Acilii cum Rubrio tribunatum ultro etiam insignis largiri titulus videtur, qui est inter inscriptiones Aegaei maris typis expressus in corpore inscriptionum Graecarum, tomo secundo, numeroque ibi signatus 2485ᵉ. Is titulus continet rem gestam a. n. 649 (105) P. Rutilio Rufo, Cn. Mallio Maximo consulibus. Eius actus partes sunt tres. Prima senatus consultum habet Romanum de foedere cum Astypalaeensibus renovato certisque modis ac temporibus recitando. Altera ipsius foederis formulam continet. Tertia pars decretum promit Astypalaeensium de foedere illo accipiendo Dorica dialecto scriptum, quum duae priores communem servaverint. Et senatui quidem Romano placuisse refertur: ut P. Rutilius consul eiusve collega quaestorem iubeat ex senatus consulto sacrificium in Capitolio facere, quo tempore velit, tabulam vero aheneam foederis in loco publico, ubi vulgo iter fiat, figendam, ex lege, quam Rubrius et Acilius tulerint, eiusque foederis verba quotannis sollemniter recitanda esse videri. En verba: (v. 9) ἔδοξεν, ὅτι (v. 10) — ος ὕπατος τὸν ταμίαν κατὰ τὸ διάταγμα (v. 11) [τῆς συγκλήτου (?) κε]λεύσῃ θυσίαν τε ἐν Καπετωλίῳ, ἐὰν θέλῃ, ποιῆσ[αι (v. 12) ..... κατὰ] τὸν νόμον [τόν τε] Ῥόβριον καὶ τὸν Ἀκίλιον (v. 13) ...... τ]όπῳ δημοσίῳ .... προκειμένου (v. 14) .... σ]τείχωσιν .... καὶ κατ' ἐνιαυτὸν (v. 15) .... ἀναγορεύ[ε]σθαι. Ex quo senatusconsulto quamvis non satis perspiciatur, quid fuerit in lege, utrum statis sollemnibus

voluntaria substituerit, an proponendorum foederum morem ad praesentem usum flexerit, tamen, quum unius, non plurium de eadem re legum, disertis verbis (κατὰ τὸν νόμον) mentio fiat, id certe efficietur, quod Mommsenius, revocato huc senatusconsulto, probaturus erat: collegas fuisse in eodem tribunatu Rubrium et Acilium, itaque legem eorum anno ab u. c. aut 631mo aut 632do, quo anno illum cum C. Graccho tribunum fuisse constat, a populo plebeve rogatam esse.

Qua de re siquis ipsi M' Glabrioni hanc legem vindicaverit, quae fuit pridem sententia Caroli Timothei Zumptii, in commentatione, quam de legibus et iudiciis repetundarum a. 1845 primam conscripsit, p. 20 seqq. de huius etiam legis latore disputantis, ei per me mora non erit, dumne praefracte illam Zumptii ratiocinationem defendere velit, qua Acilii patris tribunatum ultra a. u. 634, exputata et patris et filii aetate, reducere conatus non est, quum lege Rubria paulo altius atque ad C. Gracchi, cui Rubrius collega fuit, tribunatum cogamur ascendere. Nam et quae Zumptius maior argumenta cepit ex ampliatione, (v. XLVIII), quae fuit omnibus legibus ante Serviliam, fuit etiam Calpurnia, (Val. M. 8, 1. 11) ea me non exagitant vehementer. Sed magis me movet iudiciorum ratio et mirus iudicum in utraque lege consensus concentusque. Laudantur enim severi iudices ex lege Acilia, ,*Fac tibi*' — sunt verba Ciceronis in Verr. act. l. c. 17. 50, M' Glabrionem, quo praetore C. Verrem accusabat, alloquentis — ,*fac tibi paternae legis Aciliae veniat in mentem, qua lege populus Romanus de pecuniis repetundis optimis iudiciis severissimisque iudicibus usus est*'. Idem paulo inferius ,*Glabrionis patris vim et acrimoniam*' laudat ,*ad resistendum hominibus audacissimis*'. Itidem Velleius, (2, 8) relata causa C. Catonis, qui circa a. u. 642 repetundarum ex Sicilia damnatus fuit, quum lis eius — recuperatorio, credo, iudicio post calendas Septembres, facto — nonnisi HS IV milibus aestimaretur, effert severitatem iudiciorum iudicumque, qui consilium magis quam modum peccatorum spectaverint. Age nunc, nonne haec omnia maxime cadunt in hanc, de qua disputamus, legem? Ea enim in hanc causam proprium praetorem repetundis prima instituit. Eadem petitioni nominis delationem, privato et recuperatorio iudicio publicum adiecit, simpli aestimationi versu LIX° dupli poenam substituit et ita famae detrimentum, alienum a condictionibus, (L. 36 D de obl. et act. 44, 7. L. 2 D rer. am. 25, 2) damnatis irrogavit. Verum pigitum est retractare argumenta, quae sunt

satis superque ab aliis, Zumptio maxime et Mommsenio, momento suo ponderata.

Vnum addam de meo, coniecturale illud quidem ac paulo altius repetitum, verum tamen eius modi, quo putem confici fere rem universam. Neque enim alia, puto, lex ad repetundarum causam accommodavit illam Semproniam, qua C. Gracchus iudicia a nummariis senatoriisque iudicibus ad Gracchanos, hoc est ad equestrem ordinem, transtulerat, qui deinde per annos fere quinquaginta iudicavit sine levissima suspicione captae ob rem iudicandam pecuniae. Quin haec ipsa lex praetori repetundis tantum dat, ut ad hanc unam causam viros haud minus quadringentos quinquaginta legere quotannis possit. Iam ut dimidia pars nongentorum illorum, qui Sempronia lege, admixto senatoriis iudicibus equestri ordine, iudicaturi essent, repetundarum praetori praesto esset et altera tantummodo pars dimidia privatis iudiciis iudicandis ceterisque quaestionibus relinqueretur, quoniam repetundarum causae, propter nimiam senatoriorum iudicum iniquitatem, prae ceteris prospiciendum erat.

Namque de infinita illa senatorum corruptela ne Cicero quidem, (Divin. Caec. 21, 69 p. Mur. 28. p. Font. 13. Brut. 21) cuius verbis addi possunt narrationes Appiani (de bell. civ. 1, 22) et Valerii Maximi (8, 1. 11) dubitationem relinquit.

De nongentis vero Sempronianis Liviani summarii auctor libro 60mo haec refert: ‚*perniciosas,* inquit, *aliquot leges tulit* (Gracchus): *tertiam, qua equestrem ordinem tunc cum senatu consentientem corrumperet: ut sexcenti ex equitibus in curiam sublegerentur et quia illis temporibus trecenti tantum senatores erant, sexcenti equites trecentis senatoribus admiscerentur.*' At enim equitum numerus sexcenarius est et iudicia dicuntur equitibus tradita esse. Certe, sed id non diserte lege Sempronia iudiciaria continebatur, quae lex ita scripta erat, ut eos nominaret, qui ipsi quorumque patres avique paterni HS quadringentum milium plurisve censi essent. Ita enim C. Tim. Zumptium in dissertatione de equitibus Romanis conscripta, quae exstat inter commentationes historicas et philologicas academiae regiae Berolinensis anno 1841 editas (p. 90 seqq.), nec non in disputatione de legibus repetundarum anno 1845 instituta (I. pag. 17) pridem video hac de re sano iudicio iudicasse. Nec minus probabilibus rationibus iudiciariam a senatoria lege diversam, illam ad alterum, hanc ad priorem C. Gracchi tribunatum

referendam esse Mommsenius in ephemeridibus antiquitati cognoscendae dicatis (*Zeitschrift für Alt. Wiss. No.* 103) coniecisse videtur. Nam Ti. Gracchum, obtrectante Africano minore, rem frustra adorsum fuisse traditum est (Dio Cass. fr. 88. Plut. T. Gr. 16. Meyer fr. or. p. 191). Nongentis vero, si non eisdem, certe eiusdem census, si Plinium (nat. hist. 33, 7) sequimur, cistarum custodiam et ipsis demandatam fuisse dicemus, donec tertia, tribunorum aeris, decuria institueretur. ‚*Decuriae*, inquit, *pluribus discretae nominibus fuere: Tribunorum aeris et Selectorum et Iudicum. Praeter hos etiamnum Nongenti vocabantur ex omnibus selecti ad custodiendas suffragiorum cistas in comitiis. Et divisus hic quoque ordo erat superba appellatione nominum, cum alius se Nongentum, alius Selectum, alius Tribunum appellaret.*'

Neque igitur facile, meo quidem iudicio, quis dixerit, quo pacto numerus ille iudicum explicari commodius possit. Ex diverso fatendum erit omnia habere bellissime, si Gracchanos illos iudices Acilia eademque hac ipsa, de qua quaerimus, lege, dimidia ex parte iudicare statuerimus: deque eo genere maleficiorum, quod iam non sociis solis, sed ipsi rei publicae exitiosum fieri coeperat, iam ut non nimis a vero aberrasse videantur, qui totum illud, quod Iuliae leges produnt, publicorum privatorumque iudicum et utriusque albi discrimen ab hac lege repetiverint.

Sane quum repetundarum lex nunquam non soli Acilio adscribatur, nusquam Rubrio et Acilio, ut in illo senatus consulto, non debebat in praescriptione plurium tribunorum nominibus recipiendis spatium vacuum relinqui.

Sed de praescriptione satis superque. Sequitur primum ac principale legis caput, de pecunia capta quomodo ex hac lege iudicium fiat, nullo tamen indice a praescriptione separatum, cui recipiendo CXX litterarum maiorum spatia (tot enim exciderunt) neutiquam sufficiunt.

b. 1. *Quoi ceivi Romano sociumve no*] | minisve Latini exterarumve nationum, quoive
(245) in arbitratu dicione potestate amicitiav[*e populei Romanei ante hance legem rogatam,*
II. *quoive civi Romano sociumve nominisve Latin*|*i exterarumve nationum, quoive in arbitratu dicione potestate amictiave populei Romanei post hance legem rogatam ab eorum aliquo, quei dic(tator), co(n)s(ul), pr(aetor), mag(ister) e(quitum), cens(or), aid(ilis), tr(ibunus) pl(ebei), q(uaestor), III vir cap(italis), III vir a(gris) d(andis) a(dsignan-*
b. 2. *dis) tribunus mi*] | l(itum) l(egionibus) IIII primis aliqua earum fuerit, queive filius
(270) eorum quoius erit, [*queive*] quoius[*ve*] pater senator siet, in annos singolos pequ-

niae quod siet ampl[*ius HS .. n(ummum) pro magistratu potestate inperio cura-*
III. *tione, practerquam ab eo, quei ei|ei sobrinus siet, propiusve eum eo cognatione*
atingat et proeter quam ad templum monumentumve faciendum, ipsi ceiveive suo,
b. 3. *regice populove porentive suo queive in potestate manu mancipiove suo parentisve*
suei siet fueritve quo] | ive ipse paren[*s*]ve [1] suos filiusve suos heres siet, ablatum
(301) captum coactom conciliatum avorsumve aiet, de ea re eiua petitio oominisque de-
latio esto | [*pr(aetoris) quaestio esto, ioudicium ioudicotio leitisque aestumatio quei-*
quomque ioudicium ex h(ace) l(ege) erunt, eorum h(ace) l(ege) esto.
IV. *Quae pequnia | post h(ance) l(egem) rogatam petetur, quod de ea re ioudicium*
factum erit, sei is, quei eam rem petet, eiei praetori, quei de eo re ex h(ace) l(ege)
quoeret, sotis fecerit, id ioudicium ita factum non esse utei de ea pequnia ex hace
b. 4. *lege ioudicium fieri oporteret, neque ita factu*]m esae, utei peteret, de ea re eins
petitio nominisque delatio estn, pr(aetoris) quaestin esto, ioudicium ioudicatio leitis-
(164) que aestumatio quei quomque ioudic|[*ium ex h(oce) l(ege) erunt, eorum h(ace)*
l(ege) esto.
Vnde ex h(ace) l(ege) petitum, quoiusve nomen delatum erit, quod is pro
V. *magistratu inperio potestate | curatione in annos singolos, quod siet amplius HS ..*
a. 1. *n(ummum) cepisse deicetur, quod eiu*]s iu[*dicio petitum erit, quod iudicium ex hace*
(140) *lege datum factumve siet, quoius nomen ex reis exemptum erit, quod is, quei de*
b. 5. *ea re nomen detolerit, ante mortuos siet, quam ea res iud*]icata erit, aut qnoina
nomen praevaricationia causa delatum erit, aut quoium nomen ex b(ace) l(ege) ex
(162) reis exemptum erit, seiquia eius oomen a[*mplius deferre volet, de ea re eius petitio*
nominisque delatio esto, quaestio eius pr(aetoris) esto, iudicium ioud|icatio leitisque |
VI. *aestumatio quei quomque iudicium ex h(ace) l(ege) erunt, eorum h(ace) l(ege) esto.*
a. 2. *Sei quis ali*]enn nomin[*e pequniae quod siet amplius HS ablatum, captum,*
(134) *coactum conciliatum avorsumve ex h(acc) l(ege) petere nomenve deferre volet, de*
b. 6. *ea re eius petitio nominisque delatio esto*], quaestio eina pr(aetoris) esto, ioudicin[*m*]
ioudicatio litisque aestumatio quei quomque ioudicium ex h(ace) l(ege) erunt, eorum
h(ace) l(ege) esto.
(161) Is eum, unde petet, in ious ed[*ucito* [2] *ad iudicem in eum annum quei ex*
h(ace) l(ege) factus erit, ante Kalendas Septembres quae eo anno erunt eiusque
VII. *nomen deferto. Quoi|um nomen post Kal(endas) Sept(embres), delatum erit, de eo*
a. 3. *homine pr(aetor) recuperatores .. dato*] deque eo homine de[*ve eieis hominibus*
(127) *testibus d(um) t(axat) .. testimonium poplice denontiandi potestatem facito eosque*
b. 7. *recuperatores in diebus .. eam rem iudicare iubeto. Qu*]oius eorum ita nomen ex
h(ace) l(ege) poat K(alendaa) [S]ept(embres), quae eo anno fuerint, delatum erit [3],

---

[1] Io aere eat *parente. ve suos.* Nam *ve*, initio omissum, poatea litteris minusculis interscriptum est.

[2] Hoc verbum apud Gellium *II*, 17, 2 ex vetere aliquo edicto praetoris relatum eat: *‚Qui flumina retanda publice redempta habent, si quis eorum ad me eductus fuerit, qui dicatur, quod eum ex lege locationis facere oportuerit, non fecisse, iudicium dabo.'*

[3] Verbum *erit*, errore scalptoria initio omiasum, litteris minusculis ab eodem interpositum est.

(156) quei eorum eo ioudicio condemnalus erit, quanli eius rei slis ae[*stumata erit, tan-*
VIII. *tam pequniam privato privatisve, quoius ex h(ace) l(ege) slis aestumata e*|*rit, d(are)*
d(amnas) e(sto). Quaeque pequnia eo nomine quoique eorum soluta erit, ea pe-
a. 4. *quni*]a (¹) eius esto. Pr(aetor) qui ex h(ace) l(ege) q[*uaeret, facito, utei quod de*
(124) *bonis eius eorumve redactum erit, id inter privatos, quorum lites aestumatae erunt,*
b. 8. *pro portioni tribuatur, quodque tribut*]um eril, id utei privato solvalur, quei eorum
pelet. §.

Duas in hoc capite res pertractari: alteram: quis a quo quibus ex causis pecuniam captam repetat (v. I-VI), alteram: quo modo repetatur (v. VI-VIII) plus quam manifestum est. Neque de temporis ratione quam versibus duobus primis inserui, ambigi poterit. Nam ante facta in iudicium vocari, neque id solum sanciri, ut quod semper malum facinus fuerit, eius quaestio ad praetorem repetundis pertineat ex certo tempore, facit versus LIX, ubi ante facta simpli, post facta dupli aestimari iubentur. Vnde simul intellegitur de ante factis iudicandis ante versum LIX atque in ipso legis initio cautum esse debere, neque enim in tertio versu scriptum est ,captum siet fueritve', sed solummodo ,captum siet', quod neutiquam sufficeret ad praeteritum tempus rite exprimendum. (Cic. in Verr. Act. 2 lib. 1 c. 42, 108. Gell. 17, 7).

Dari repetitionem existimavi non solum sociis ac nomini Latino exterisve, sed ipsis etiam civibus Romanis et ita posui in lege. Movit me non tam potestatis manus mancipii mentio, quas et ipsas Latinorum fuisse Flaviis legibus certiores facti sumus, neque praemium civi Romano accusatori praestitutum v. LXXXVII LXXXVIII, quam tot magistratuum urbanorum index, et petitionis, id est civilis actionis, constans ac perpetua in lege commemoratio. Atqui lex repetundarum socialis est. Audio equidem. At vero id impedimento non est, quin cives etiam tueatur maxime ab eo genere repetundarum, quod semper nefarium habitum fuit: captarum, inquam, ob rem iudicandam pecuniarum. Denique M. Cicero, quamquam socialem appellaverat repetundarum legem, (Cic. in Q. Caecil. div. c. 5) tamen C. Verrem lege Cornelia reum fecit repetundarum etiam ex praetura urbana. — Ceterum quod repetitionem per eos quaeri, qui in potestate, quaeve in manu, quique in mancipio sunt, nec minus heredibus dari lex iubet, id usque adeo iuris exploratissimi est, ut interpretatione supersederi possit.

(¹) Mommsenius fecit: *condemnaveri*]t, eius esto. In Ritschelii tabula magis *a* litterae vestigia agnoscere mihi videor.

Competit repetitio in magistratus maiores minoresque, in senatores pedarios et filios magistratuum senatorumve, si quidem pro magistratu imperio potestate curatione furtum commiserint. ‚*Cum imperio* vero *est*' (sunt verba Festi p. 50 Muell.) *dicebatur apud antiquos, cui nominatim a populo dabatur imperium.* ‚*Cum potestate est' dicebatur de eo qui a populo alicui negotio praeficiebatur.* Sequentes leges curationem a potestate distinxerunt eaedemque munera etiam et ministeria adiecerunt. (Cic. p. Rab. Post. 6, 13. 14. in Verr. 2, 2. 10. L. l. D de lege Iul. rep. 48, 11). Veterem hanc puto minus diligenter scriptam fuisse, ut tamen curationis verbum, quo Plautus Mostell. 1, 1, 33. usus fuit, recipiendum videatur.

Repetuntur pecuniae ablatae captae coactae conciliatae avorsaeve, ut lege Cornelia (Cic. in Verr. Act. 2, 1. c. 4; 2, 2. c. 58; 2, 3. c. 30. 40. 84. 94). Neque vero inter furta et dona illicita hac vetere lege discrimen admittitur, neque satis distinguitur, ob rem iudicandam captae pecuniae sint an ob rem publicam administrandam, iam ut appareat quanto posteriores leges, Iulia maxime, etiam hoc loco fuerint scriptae diligentius (cf. L. 3. 4. 6 § 2. L. 7 pr. D de lege Iul. rep. 48, 11).

Denique lex, levissimis quibusque furtis praetermissis, ‚graves duntaxat et intolerabiles iniurias' (Val. Max. 8, 16) persequitur, quum Iulia lex ab his, qui eo capite enumerantur, ubi ob ius dicendum et rem iudicandam capere pecuniam prohibet, ne minimam quidem quantitatem capere permittat. (L. 7 § 1. D de lege Iul. rep. 48, 11). Pretio enim addictam fidem et religionem habere nunquam non omnium rerum turpissimum maximeque nefarium habitum est. (Cic. in Verr. 2, 2. c. 48 § 119. Gell. 20, 1. 7). Licita quantitas plebiscito fuit esculentum poculentumve quod intra dies proximos prodigatur (Modestin. L. 18. D de off. praes. 1, 18), lege Iulia urbani magistratus ab omni sorde abstinere iubentur, neque plus doni muneris in anno accipere debent quam quod sit aureorum centum, hoc est HS X nummum. Ita certe Venuleius refert (L. 6 D de lege Iul. rep. 48, 11). Acilia lege, in maiore paupertate, (nam mitiorem fuisse Iuliam contra rationem diceretur), infra HS IIII millia licita quantitas fuisse videtur. Tantae enim pecuniae, et poena dupli computata VIII (non XVIII) millibus, C. Catoni, ex Sicilia repetundarum c. a. u. 640 reo, litem aestimatam referunt Velleius 2, 8 et Cicero Verr. 3, 80, 184. 4, 10. 22.

Excipit lex Iulia, ut a sobrino propiorisve gradus cognato, nec non templi monumentive faciendi causa capere liceat, (Cic. ad Att. 1, 1, 9. L. 7 § 1 D de lege Iul. rep. 48, 1) nisi de iure dicundo agatur, quo genere a nullo capere lex permittit. Quae et religionis et necessitudinis ratio quum antiquissima videatur, (nam et munerali lege, praeterquam ob causam orandam, cognati et affines excipiuntur: Ulp. 1. 2. Fragm. Vat. 298-309. 313. Liv. 34, 4. Tac. A. 11, 5) neque a Cornelia lege aliena sit, (Cic. in Verr. 2, 2. 58) non putavi eam in Acilia praetermittendam esse.

Enimvero lex petitionem nominisque delationem quatuor de causis dedit, quarum alteram, eamque versu IV propositam quo referrem, diu anceps haesitavi. Mommsenius supplevit ‚*Sei quis deicet praetorem nomen ex hace lege ita non recepisse utei delatum esset neque iudicium ex hace lege ita datum* esse utei peteret, de ea re eius petitio nominisque delatio esto'. Disputando vero idem adiecit p. 64. ‚*Agitur — hoc loco de praetore qui actionem male denegavit, quo facto qui post eum ex hac lege quaerit, quo minus idem nomen recipiat, non impeditur*'. Haec ille. Sed de eo, utpote re integra, caveri nihil attinuit. Contra, reddito, sed non ex lege, iudicio, considerare praetorem oportuit, non quid actor postulaverit sed quid ex lege fieri debuerit. Itaque putabam aliquando post directum repetundarum iudicium statim contrarium quodam modo de calumnia hoc loco iudicium proponi, commotus maxime Pomponii sententia apud Ulpianum L. 1 pr. § 1 D de calumn. (3, 6) proposita. ‚*In eum*;' inquit, *qui, ut calumniae causa negotium faceret vel non faceret, pecuniam accepisse dicetur, intra annum in quadruplum eius pecuniae, quam accepisse dicetur, post annum simpli in factum actio competit. Hoc autem iudicium non solum in pecuniariis causis sed et ad publica crimina pertinere Pomponius scribit: maxime cum et lege repetundarum teneatur qui ob negotium faciendum aut non faciendum per calumniam pecuniam accepit.* Verum tamen non refragor, si quis huius modi iudicium ad praevaricationis causam potius, quam ad hunc articulum pertinere contenderit. Itaque nunc sic ordinavi supplementa, iam ut mitiora in posterum iudicia remota videantur, quae adhuc fiebant ex lege Calpurnia legeve Iunia, ac si per sordes aut gratiam praetoris facta fuerint, ea res impedimento non sit, quo minus severiora ordinentur ex hac lege.

Sequitur versu quinto tertius articulus, quo apparet definitum fuisse, quando de capta supra modum pecunia amplius agere reumque repetere li-

ceat. Ipsis enim, quae ex illo versu hodie exstant, reliquiis cautum lege fuisse admonemur, ne forte nocens reus praescriptione utatur, quod dicat eandem rem semel in iudicium venisse atque eo modo e condemnationis periculo evadat. Quamvis enim bis de eadem re neque in publicis iudiciis neque in pecuniariis causis agere liceat, (cf. Plauti Rud. prol. 14, 19. Terent. Phorm. 2, 3. 58. 72. And. 3, 1. 7. Ad. 2, 2. 24. Heaut. 3, 3. 3. Quintil. 7, 6. 4. decl. 266. Demosth. adv. Nausim. p. 989, 13 ἅπαξ περὶ τῶν αὐτῶν πρὸς τὸν αὐτὸν εἶναι τὰς δίκας) excipiuntur tamen quaedam species, quibus iterata petitio nominisque delatio permitti videtur. Et *primum* quidem cavetur, nisi fallor, ut accusatore mortuo iudicium mutetur: cf. L. 3. 4 D de accus. (48, 2) L. 10 pr. D ad S. C. Turp. (48, 16) L. 35 D de L. Iul. de adult. (48, 5). Mommsenius quidem haec aliter interpretatus est. Supplevit enim ita: *De quo ex hac lege iudicatum erit et contra hance legem fecisse dicetur postquam ea res iud*icata erit — sei quis eius nomen — *denuo detulerit quaestio eius praetoris esto*. Sed quominus de alia re denuo ageretur nulla iuris regula impedimento fuit. Itaque diserto de ea re legis praecepto opus non fuit. *Deinde* excipitur praevaricationis causa: nihil enim interest omnino an recte actum priore iudicio non fuerit, quod et ipsum tam e nostrae legis versu LV°, LXXV^to^, LXXXII^do^, quam aliunde notissimum est. Videsis Cic. ad fam. 8, 8. Or. part. 36, 124 L. 3 § 1 D de praevar. (47, 15) L. 3 § 13 D de hom. lib. (43, 29). *Tertio* loco additur ,quoium nomen *ex hac lege* ex reis exemptum erit'. Quam exceptionem ad eam speciem rettulerim, quae proponitur sub rubrica ,de heisce dum magistratum aut inperium habebunt, ioudicium non fiet' (v. VIII. IX), item sub titulis ,*de nomine refere*]ndo' (v. XXXIX-XLII) et ,*de reo excusando*' (v. XLIII). Nam et Papinianus L. 10 pr. D ad S. C. Turp. (48, 16) abolitionem non solum mortuo accusatore admittit, verum etiam ex iusta causa, quo minus accusare possit, impedito. Potest etiam, ut reum post Kalendas Septembres delatum, nec nisi recuperatorio iudicio a privato peractum, proximo anno repetere licuerit (v. VII); est enim perpetua iuris regula: quoties de re familiari privato iudicio egerimus, non esse nos prohibendos quo minus publico iudicio experiamur (L. 7 D de iniur. (47, 10) L. un. C. Victum civ. 9, 31).

Quarto articulo dixerit aliquis appendiculam illam adiectam videri: ,*Quo ea pecunia pervenerit*', quam in Iuliam ex Cornelia, in Corneliam ex Servilia

lege totidem verbis translatam esse cognitum sane habemus explorate (Cic. p. Rab. Post. 4, 9).

Sed etsi in hac opinione et ipse aliquamdiu versatus fui, tamen capitis illius ,*Quo ea pecunia pervenerit*' nullum praeterea in lege nostra vestigium esse, nec solere pecuniam condici, nisi his solis, quibus soluta sit, non quibus proficiat, (L. 49 D de cond. ind. 12, 6) Mommsenio (p. 64) ultro lubensque largior. Magis igitur nunc probo hac clausula videri actionem dari, sive suo quis sive alieno, hoc est regis, populi, civitatisve nomine agere litemque aestimari velit. (Cf. Corn. Nep. 25, 6. 3. L. 46. pr. D de proc. 3, 3). Quamvis enim alioquin veteris iuris regula definitum sit ,*neminem alieno nomine lege agere posse*' (Gai. 4, 82. Ulp. L. 123. pr. D de R. 7 50, 17), excepta tamen antiquitus fuerunt negotia et reciperationes, quae per feciales, legatos, publicos populorum nuncios expediuntur (Liv. 1, 32. Varro de ling. lat. 5, 87. 6, 66. L. 8 § 1 D de div. rer. (1, 8) L. 17 D de legationib. 50, 7). Quod vero obtinuisse necesse est quamdiu Calpurnia Iuniave lege sacramento agebatur, id multo magis, sublatis in ea re legis actionibus, caveri nostra lege oportuit, cautumque revera fuisse ex versibus LIX-LXV coniectura perspicitur certissima.

Posteaquam ita definitum fuit, quibus ex causis repetundarum agatur, ordinarium fuit praescribere: quomodo de eis rebus iudicia fiant. Apparet autem duplex de pecuniis repetundis proponi iudicii genus: publicum et privatum. Quamquam enim illud etiam de re privata dari manifestum est, publice tamen et nominis delatio et patronorum datio et pecuniae distributio fit. Atque publici quidem iudicii causa ante Kalendas Septembres cuiusque anni nomen deferre lex iubet, scilicet ne protracta in proximum annum litium, quo alius praetor futurus magnaque pars iudicum mutata sit, iudicatione, effugium praebeatur nocenti (Cic. in Verr. Act. I c. 10). Quae tamen res impedimento non est, quominus post Kalendas Septembres privato ac recuperatorio, id est repentino,(¹) iudicio extra sortem privato succurratur, quamvis eo tempore a iudiciis forum Romae refrixerit (Cic. ad Att. 1, 1) atque etiam periculum sit, ne publicae causae praeiudicium fiat. Quo de genere iudicii videsis Ciceronis orationem pro Caecina c. 10, 28, item Legem Mamiliam

(¹) Cic. p. Tull. 10, 11. reciperatores dare ,ut quam primum res iudicaretur'. Lex Coll. aq. 22, *in diebus perpe*]tuis rem iudicanto Plin. Ep. 3, 2t ,ut in recuperatoriis iudiciis — quasi repete apprehensi, sinceri iudices fuimus'. Gai. 4, 185.

c. 5. Valerii Probi excerpta p. 124, 7. Plinii ep. 2, 11. 12. 4, 9. 6, 29. Tac. ann. 1, 74. Sueton. Dom. 8. Atque eo iudicio privatis tantum satis fieri lex iubet, non rei publicae: ideoque simpli dumtaxat rei recipiendae nomine redditur. Qnoque celerius res agatur cessare patronos lex iubet (v. IX). Neque dubito, quin testium numerus ad consuetum recuperatoriis iudiciis modum redactus fuerit. Pecuniae quoque solutio non quaestori sed ipsi praetori, aliter ac publico iudicio, mandatur et si solvendo reus non sit tribuenda inter privatos pecunia pro portione est. Accusatorum vero praemiis locum non esse, non est quod admoneamus, quamvis, si poena petatur, etiam in recuperatoriis iudiciis usu veniant (cf. S. C. de aquaeductibus ap. Frontinum c. 127. L. Mamil. c. 5. L. 25. D de S. C. Silan. 29, 4).

De heisce, dum mag(islralum) aul iuperium babebunt, ioudicium uou fiel. §.

(154.) Dic(tator), co(u)s(ul), pr(aelor), magi(ster) eq(uitum) [*cens(or), aid(ilis), tr(ibunus)*
pl(ebei), q(uaestor), III *vir cap(italis),* III *vir a(gris) d(andis) a(dsignandis), tri-*
b(unus) mil(itum) leg(ionibus) IIII *primis aliqua earum, dum mag(istratum) aut*
IX. *inperium habebit, de eis h(ace) l(ege) ioudicium* | *nei esto, aut quoium nomen dela-*
a. 5. *tum siet, pr(aetor) ex reis eximito. Quei eorum e*]x eo mag(istralu) inperiove
(121.) abierit, quo min[*us praetor quei ex h(ace) l(ege) quaeret eius nomen recipiat deque*
eo ioudicium ex h(ace) l(ege) faciat e(ius) h(ace) l(ege) n(ihilum) r(ogato).

In re notissima nolo repetere, quae e testimoniis Ciceronis (de fin. 2, 16. 54. Catil. 3, 6) Livii (9, 26. 43, 16) Labeonis (Gell. 13, 13. 4) Valerii Maximi (6, 1. 7) Taciti (Ann. 13, 44) Dionysii Halic. (10, 39. 50) Dionis Cassii (55, 10. 57, 21. 59, 23. 60, 15) Venuleii (L. 12 pr. § 1 D de acc. 48, 2) Pauli (L. 48 D de iudic. 5, 1) facile colliguntur. Unum tantisper admonuisse sufficiat de reo eximendo. Neque enim dubitabimus, quin hoc loco designandus ille fuerit, ‚quoium nomen ex *hac lege* ex reis exemptum' supra significari vidimus versu V. Rem conficit causa M. Scauri apud Asconium in Scaur. 19, 10 relata, in qua timebant accusatores, quod interim comitia consularia futura erant, ne Scaurus ea pecunia, quam ex sociis abstulisset, emeret consulatum et sicut pater eius fecisset, antequam de eo iudicari posset, magistratum iniret ac rursus ante alias provincias spoliaret, quam rationem prioris administrationis reddidisset. Idque timebant, posteaquam inquisitionem in Sardiniam Corsicamque insulas dies tricenos acceperant. Ergo apparet periculum fuisse, ne delatum receptumque nomen ex reis eximeretur.

De patroneis dandeis.

b. 9. *Quei ex h(ace)*] l(ege) pequniam petet nomenque detuler[*it*], quoius eorum ex
h(ace) l(ege) ante K(alendas) Sept(embres) petitio erit, sei eis volet sibei patronos
(149) in eam rem darei, pr(aetor), ad quem [*de ea re aditum erit, patronos eiei dato dum
taxat quatuor, quoiusque eorum patronorum maxime intererit reum condemnari,*
X. a. 6. *eum*| *actorem constituito, ceteri subscribant facito, dum*] nei quem eorum det sciens
(120) d(olo) m(alo), quoiei is, q[*uoius nomen delatum erit, gener, socer, vitricus privi-
b. 10. gnus siet, queive eiei sobrinus siet pro*]pinsve eum ea cognatione at[*t*]igat, queive
[*ei*]ei sodalis siet, queive in eodem conlegio siet, quoiave in fide is erit maioresve in maio-
(141) rum fide fueri[*n*]t, [*queive in fide eius erit quoiusve maiores in maiorum fide fuerint,
XI. queive ab eo, quom servisset, se liberaverit, quoiusve maio*|*res ab eo eiusve maioribus se li-
a.7.(118) beraverint, queive*] quaestion[*e*] iondicio[q]ue(') puplico condemnatu[*s siet quod circa eum
b. 11. in senatum legi non liceat, quei ve ei praetori quaestor fuerit, neive eum qu*]ei ex h(ace)
l(ege) ioudex in eam rem erit, neive eum que[*i e*]x h(ace) l(ege) patronus datus erit. §.

Fere ut tutor pupilli, ita patronus peregrini solitudini praeest. Itaque ut tutorum, ita patronorum duo genera sunt: aut enim personae dantur aut certae rei vel causae.

Et personae quidem, hoc est omnibus rebus, adsunt, quorum in fidem clientelamque sive privati se contulerint, sive civitates. Nam qui nationes devictas bello in fidem recepissent, earum patroni perinde erant more maiorum, (ut Marcelli Siculorum, M. Cato Hispanorum, apud quos consul fuerat) ac si tenuiores de plebe homines ad potentioris alicuius maiorumve eius fidem privatim sese applicuissent. Ut enim clientem defendere inter sanctissima officia erat, atque adeo etiam cognatorum affiniumque necessitudini praestabat, ut ab his quoque tuendi clientes essent et patronus qui clienti fraudem fecerit, sacer etiam esse iuberetur lege duodecim tabularum, ita clarissimi viri civitatis, temporibus optimis, hoc sibi amplissimum pulcherrimumque ducebant, ab hospitibus clientibusque suis, ab exteris nationibus, quae in amicitiam populi Romani ditionemque venissent, iniurias propulsare eorumque fortunas defendere. (Cic. Div. Caecil. 20, 66. de off. 1, 11, 35. in Verr. 2, 2. 14 § 36. cf. 2, 4, 65. Sabinus ap. Gell. 5, 13. 5. C. Caes. ib. § 6. Serv. ad Aen. 6, 604. Dionys. 2, 10). Eundem patrocinii deferendi patronique cooptandi morem imperatorum etiam tempore usu venisse docemur plurimis inscriptionibus, quarum numerum collegit Guil. Henzenius p. 162. 163. indicum Orellianorum.

Causae patronus proprie est qui certam aliquam causam dicendam suscipit, sive is adoptetur nomineturve a litigatore, sive publice non habenti

(') In aere est: *quaestionem. ioudicioove.*

a praetore detur (Cic. Div. Caec. 4, 11. ad Fam. 5, 9. p. Mur. 2, 4. Liv. 43, 2. L. 1 § 4 D de postul. 3, 1). Datur autem imprimis postulanti: cuius postulationis formam servarunt Cicero (ad fam. 7, 11. et de oratore 2, 69) item Seneca (de ira 1, 16). Sed etsi nemo sit, qui petat, ultro debebit indulgeri, maxime feminis vel pupillis vel alias debilibus, quive suae mentis non sint, vel per potentiam adversarii non invenire se advocatum dicant (cf. L. 9, 4. 5 D de off. procons. (1, 17), quaeque de cognitore dando disputat Cicero in Verr. Act. 2. Lib. 2 c. 43-44). Numerus id genus patronorum ante tertium Gnaei Pompeii consulatum finitus non fuerat, raro tamen fiebat, ut quispiam pluribus quam quatuor patronis uteretur, donec post bella civilia ad duodenos usque perventum est. (Liv. 43, 2. Cic. Div. Caec. 15. Ascon. in Scaur. p. 20 Or. Tac. de or. 38). Et quamvis nulla necessitudine litigatores attingerent, mansit tamen nomen patronorum, nec magis permissum fuit ob causam orandam donum munusve capere, quam licuit olim divisui habere clientem. ‚*Quid enim legem Cinciam de donis et muneribus excitavit, nisi quia iam vectigalis et stipendiaria plebes senatui esse coeperat*'? (Liv. 34, 6 Gell. 20, 1. 40. Dionys. 2, 10. Plut. Rom. 13). Quia tamen verae clientelae esse desierant, imperatores capiendis pecuniis modum posuerunt usque ad dena sestertia, quem egressi repetundarum tenerentur (Div. 54, 18. Tac. A. 11, 7. 13, 5. Suet. Nero 17. Plin. Ep. 5, 4, 14. 21. Quint. 12, 7-12. L. 1 § 10-13. D de extr. cogn. 50, 13).

Huius modi igitur causae patronos praetorem lex ei dare iubet qui ex hac lege pecuniam petiturus nomenque delaturus sit, dummodo ex hac lege ante Kalendas Septembres ei petitio sit, hoc est dum publicum iudicium fiat, non privatum solummodo et recuperatorium maturatum illud ac minus sollenne minusque invidiosum.

Excipiuntur tamen tres excusationes, propter quas aut dari patrocinium non debeat, aut datum liceat non suscipere: necessitudo, infamia, munus.

Ac primum quidem quaevis necessitudo excusat, qua quis cogeretur adesse adversario (*μετὰ τῶν ἐχθρῶν ἐξετάζεσθαι*, ut male vetit Dionysius Halic. 2, 10). Quo officio defenduntur 1° Affinium personae, 2° Cognati, qui ei unde petitur sobrini propioreve gradu fuerint, 3° Sodales, dum publica sint sodalitate coniuncti, nam privati ‚*non modo nomina deferunt inter se, sed etiam commemorant sodalitatem in accusando, ut ne, si quis id forte nesciat, timere videatur*', ut Cicero ait p. Coel. 11, 26. 4° Qui in eodem col-

legio sit, constituto antiquitus et licito scilicet. 5° Qui eius unde petitur cliens sit, cuiusve maiores in maiorum eius fide clientelave fuerint: nam ut tutelae, ita clientelae patrocinia hospitia ad liberos posterosque descendunt, ac tametsi hereditario iure nullum eorum officiorum ad alium transit, gente tamen redeunt (Cic. p. Rosc. Am. 37, 106, *cum multos veteres a maioribus Roscii patronos hospitesque haberent — se in Chrysogoni fidem et clientelam contulerunt*' Div. Caec. 20 fin. Orell. 156. 3693. L. 16 § 1 D de tutelis 26 1). His addiderim: 6° ‚*queive ab eo, cum servisset, se liberaverit, quoiusve maiores ab eo eiusve maioribus se liberaverint*', quia nec testimonium dicunt inviti, (Coll. 9, 2, 2 L. 3 § 5 L. 4 D de testib. (22, 5) Plutarch. Mar. c. 5) nec admittuntur ad accusationem, nisi intersit ipsorum (L. 11 § 1 D de accus. 48, 2). Denique septimo loco, versu XI, quoniam spatia abunde suppetunt, ut publicae quaestoris necessitudini locus detur, eam ipsam coniunctionem ausus sum adiicere: ‚*Sic enim*', sunt certe verba Ciceronis Div. Caecil. c. 19. ‚*a maioribus nostris accepimus praetorem quaestori suo parentis loco esse oportere: nullam neque iustiorem neque graviorem causam necessitudinis posse reperiri — Quamobrem si iure eum posses accusare, tamen, cum tibi parentis numero fuisset, id pie facere non posses*' — ‚*fatearis necesse est, te illi iniustum impiumque bellum inferre conari*' — *Neque fere unquam venit in contentionem de accusando qui quaestor fuisset, quin repudiaretur*'. Idem de sen. 14 f. de Cn. Plancio sic loquitur: ‚*Qui si mihi quaestor imperatori fuisset, in filii loco fuisset: nunc certe erit in parentis, cum fuerit quaestor non imperii sed doloris mei.*'

Altera eademque infamiae causa nulli continentur, nisi qui quaestione iudiciove publico condemnati sint, *quod circa eos in senatum legi non liceat*, quae verba e versu XIII recte puto Klenzium adiecisse. Praeterea lege quidem Iulia de vi publica, lege Iulia de vi privata, immo vero etiam lege Iulia municipali excipitur: ‚*qui eorum in integrum restitutus non est erit.*' Verum id Klenzius merito non recipit, cum versu XIII nihil tale contineatur. Nam ne hi quidem adscribuntur qui calumniae praevaricationisve causa accusasse fecisseve iudicati sint, quamvis et in edicto praetoris enumerentur (L. 1 § 6 D de postul. [3, 1] L. 1 pr. D de his qui not. 3, 2) et lege Iulia municipali v. 117-120 vetentur in senatu decurionibus conscriptisve esse municipiorum. Multoque magis ceteri infames omittuntur qui edicto praetoris pro alio postulare prohibentur praeterquam pro eo, quo-

cum summa necessitudo interveniat. (Adeantur Vlpianus, Gaius, Paulus, L. 1 § 8. 11. L. 2. 5 D de postul. 3, 1. Cato, Sabinus et Caesar apud Gellium 5, 13, 4-6). Neque eorum cuius mentio fit, quibus in reum testimonium propter infamiam non permittitur dicere, velut eius, qui depugnandi causa auctoratus erit, quive ad bestias depugnare se locavit locaverit, praeterquam qui iaculandi causa ad urbem missus est, erit, palamve corpore quaestum faciet feceritve (Coll. 9, 2. 1 = L. 3 § 5 D de testib. 22, 5). Censoria vero ignominia ne in indicibus quidem legendis unquam praetoribus impedimento fuit, quo quem minus in iudices referrent, nedum causae patronum darent. Cic. p. Cluent. 43, 121.

Munere denique excusatur qui ex hac lege in eadem causa iudex factus sit, (siquidem aliud est iudicare, aliud patrocinari Gell. 14, 2 § 16), quive in alia causa patronus datus sit, ne alterutro officio neglegenter fungatur: quam quidem rationem Iustinianus L. 14 pr. C. de assess. (1, 51) affert, neve duobus simul oneretur patrociniis: nam et tutelarum numerus excusationem habet.

Quod vero Klenzius (p. XII) patronum pro peregrinis alieno nomine lege egisse, eamque causam nonnisi memoriae vitio apud Gaium (4, 83) excidisse existimat, id vereor, ne verum non sit. Neque enim patronus causae, quamvis *legis iudiciique actor, cognitor iuris sociorum* et ipse dicatur, (ap. Cic. Div. Caec. 4, 11. 20, 65) recte comparatur actori municipum cognitorive qui lite contestata, veluti delegatione quadam facta, privatae litis dominus efficitur eamque suo quodammodo nomine exsequitur, (Fest. v. Reus. p. 273. 289. L. 11 pr. D de doli exc. 44, 4. L. 22 C. de proc. 2, 13) quum patronus nonnisi advocati et oratoris partibus fungatur, nec alienae causae adsit praeterquam dicendo.

In quo qui plurimum potest, quia is princeps in agendo est, eique potissimum accusatio datur, actor proprie vocatur, cui qui secundas ab eo, tertias ac deinceps partes sustinent, subscriptores adduntur. (Cic. Div. Caecil. 1. 15). Qua de re praeiudicio certari necesse fuit, quod, quia de re futura iniurati (si veteri enarratori credimus) iudices considunt, divinatio vocabatur (ib. c. 4).

Cuius enim opera maxime reus condemnatus sit, ei ut praemium detur et hac ipsa lege diserte expressum est (v. LXXXIV) et cavetur S. Cto de aquaeductibus facto, quod apud Frontinum c. 127 servatum est. Similiter

ubi excipitur: ne, qui eius unde petitur causam dicat, invitus contra eum testimonium dicere cogatur, additur taxationis causa ‚dum taxat unum' (v. XXXIII).

Alia sane more maiorum causa eorum fuit, qui clientes exterasve nationes in fidem recepissent. Eius enim generis patroni, ut parentes et tutores, hospitum, clientum, pupillorum causas tuebantur ut suas et usque adeo suo nomine agere videbantur, ut is tantum, qui absente tutore furti egerit, alterius nomine lege Hostilia egisse diceretur, (pr. I. de iis per quos. 4, 10), ipse vero tutor patronusve domini loco haberetur. (L. 55 § 1 D de adm. tut. [26, 7] L. 56 § 4 L. 89 D de furt. 47, 2). Verum in lege nostra de alterius generis patronis agitur.

De patrono repudiando. §.

(140) Quei ex h(ace) l(ege) patronus datus erit, sei is mori[*bus suspectus esse dicetur, de ea re, praetori quei ex h(ace) l(ege) quaeret, cognoscere eumque patronum*
XII. *repudiare ius esto. Tum in eius* | *locum, quos ex h(ace) l(ege) in eam rem patronos*
a. 8. *dare licet, eo*]rum pr(aetor), quei ex h(ace) l(ege) quaeret, alium patronum eiei
(106) quem v[*olet dato*]. Quemque ita p(raetor) patronum dederit, [*is eodem iure esto, quo fuerit is, quem pr(aetor) ex h(ace) l(ege) repudiaverit.*

Heredem facultates suspectum faciunt, tutorem et patronum mores, hoc est callida conversatio et praevaricatio (L. 31 § 1 D de reb. auct. [42, 5] L. 3 § 5 D de susp. tut. [26, 10] § 13 I. eod. [1, 26]). Itaque quemadmodum tutor ab administratione tutelae ‚*removetur*' sive ‚*repellitur*', ita patronus, qui dari non debuit, propter indignitatem ‚*repudiatur*' (Cic. Div. Caecil. 19, 63). Repudiandi potestatem Mommsenius ei facit ‚*quoi ex h(ace) l(ege) datus erit*'. Equidem magis putaverim praetori datum ut repudiet, qui possit et dare, (L. 102 § 1 D de R. I [50, 17] L. 1 § 5. 6 D de postul. [3, 1] L. 10 D de susp. tut. 26, 10) exemplo tutorum, qui ut suspecti removentur. Quo facto quamvis alioquin tutorem habenti tutor non detur eandemque regulam in patronis dandis observari rationis sit, ut tamen exemplo tutoris suspecti (Gai. 1, 182. Vlp. 11, 23) in locum patroni repudiati alium petenti dare possit, lex praetori potestatem facit, quique ita datus sit eum sine dubio eodem iure esse iubet, quo fuerit is, in cuius locum substitutus sit, sive is suo nomine accusaverit, sive tantum subscripserit. Ideoque hoc ipsum in fine capitis adiiciendum esse putavi.

b. 12. *De CDL vireis in hunc an*]num legundis §.
Qnos legerit, eos, patrem, tribum cognomenqne i[*n*]dicet.
(129) De CDL vireis quotannis [*legundis.*
Qnos legerit, eos, patrem, tribnm, cognomenqne i[*n*]dicet.

De his quatuor capitibus bina, primum et tertium, secundum et quartum eisdem fere verbis praecipiunt, quemadmodum a praetoribus legantur scribanturque quorum e numero in causis repetundarum iudices legendi sint. Ea solummodo differentia est, quod priora duo capita, primum dico et secundum, ad praetorem peregrinum proximumque annum pertinent postquam lex perlata fuerit, posteriora contra, hoc est tertium et quartum, futuros annos omnes deinceps novumque praetorem respiciunt, cui quaestio repetundarum ex hac lege (v. XVI) obventura sit. Cuius differentiae ratio in eo sine dubio posita fuit, quod ante hanc legem promulgatam rogatamve praetores in proximum annum sortiti iam fuerant.

Sed capite quidem primo et tertio in legendis, capite vero secundo et quarto lectis CDL viris quae praetorum officia sint, describitur.

Itaque duorum capitum, quibus de quadringentis quinquaginta viris sive in hunc annum sive quotannis legundis actum fuit, contra positorum haec fere sive communis sive diversa sententia est:

Pr(aetor), quei inter
Praetor, quei post ea quam hance legem populus plebesve iouserit ex h(ace) l(ege)

peregrinus ious deicet is in diebus X proxum(eis) (1) quibus h(ance)
XVI. *quot annis factus creatusve erit is in diebu|s X proxum(eis) quibus eo*

l(egem) populus plebesve iouserit, facito utei CDL viros ita legat:
a. 12 *anno quis*]que eorum eum mag(istratum) coiperit, facito utei CDL viros ita legat:

(137) quei in hac ceivit[*ate sestertium quadringentorum milium nummum suprave eum*
(90) quei hae [*in ceivitate sestertium quadringentorum milium nummum suprave eum*

censum census siet fueritee, dum nequem eorum legat, quei tr(ibunus) pl(ebei)
b. 16. *censum census siet fueritve d*]um nequem eorum legat, quei tr(ibunus) pl(ebei)

XIII. *q(uaestor) III vir cap(italis) tr(ibunus) mi|l(itum) l(egionibus) IIII primis aliqua*
q(uaestor) III vir eap(italis) tr(ibunus) mil(itum) l(egionibus) IIII primis aliqua

a. 9. *earum, triumvir*]um a(gris) d(andis) a(dsignandis) siet fueritve, queive in senatu
earum, triumvir a(gris) d(audis) a(dsignandis) siel fueritve, queive in senatu

(104) siel fuerint eie-, (2) queiv[*ve mercede constituta depugnavit depugnaverit artemve*
(128) siet fueritve, (3) queive merc[*ede constituta depugnavit depugnaverit artemve*

---

(1) In aere est: proxum.

(2) Ita scalptor: scribere oportuit: fueritve.

(3) Hiatum Mommsenius, quum litteris numero centum duodetriginta mensus esset, explevit centum septuaginta tribus. Quod quum iusto prolixius esset, quibusdam media in parte omissis, in angustum deducere tentavi.

b 13. *ludicram fecit fecerit, queive ioudicio puplico in urbem Romam conde*]mnatus siet,
XVII. *ludicram fecit fecerit, queive ioudicio puplico Romae condemn|atus siet,*

quod circa eum insenatum legei non liceat, queive minor anneis XXX maiorve annos
a. 13. *queive minor anneis XXX maiorve a*]nnos

(135) LX gnatus siet, queive in urbem Romam propiusve u[*rbem Romam p(assus) M*
(90) LX gnatus siet, queive in urbe Romae propiusve urbe Roma[*m p(assus) M*

non habitet, queive eius mag(istratus), quei s(upra) s(criptus) est, pater, frater
non habitet, queive eius mag(istratus), quei supra scriptus est pater frater

XIV. *filiusve siet, queive eius, quei insenatu sie|t fueritve pater frater filiusve siet, queive*
b. 17. *filiusve siet,*] queive eius quei insenatu siet fueritve pater frater filiusve siet, queive

a. 10. *trans mar*]e erit.
trans mare erit.

In legendis CDL viris observare praetores oportet primo numerum, deinde censum, postremo impedimenta.

Numerus legi iubetur tantus, ut dimidia pars omnium, penes quos Sempronia lege iudicia erant, possit ad repetundarum quaestionem infestissimam nobilitati praesto esse. Nam, si Livii epitomae libri sexagesimi credimus, C. Gracchus tulerat in tribunatu, ut sexcenti, non trecenti, ut Plutarchus in eius vita c. 5. 6, commutata fortasse inter se Semproniae et Liviae legis ratione, refert, senatoribus equites admiscerentur, id est ut equester ordo, quum illis temporibus trecenti tantum senatores essent, bis tantum virium in senatu haberet. Quo facto iudicia et ipsa in potestatem eius redacta fuisse non modo apud omnes auctores constanter relatum invenio, ut apud Varronem (cf. Non. v. Bicipitem 454), Velleium (2, 6, 13, 32), Tacitum (Ann. 12, 60), Florum (3, 13. 17), Appianum (de bell. civ. 1, 22), verum etiam consentaneum esse nostrae maxime legi puto, quae nonnisi sequela quaedam Semproniae et accessio est.

Censum quadringenariorum iudicum et inscriptiones referunt, quas Orellius et Henzenius collegerunt numeris 2357 et 6469 signatas, et Plinius significat libro XIV naturalis historiae sectione 1 his verbis ‚senator censu legi coeptus, *iudex fieri censu,* magistratum ducemque nihil magis exornare quam census'. Disertis verbis legi inserere censum princeps ausus Mommsenius fuit. Quod quam sit recte factum nescio an ipsa mentio civitatis satis demonstret (v. XII. XVI): neque enim census facile commemoratur nisi adiecta civitate in qua quis census esse dicatur, veluti legis Iuliae municipalis

versibus 142-158, apud Lucam evangelistam 2, 3 et Vlpianum libro de censibus tertio L. 4 § 2 D de cens. (50, 15).

Impedimento, quo quis minus legatur, sunt primo iniquitas, deinde infamia, tum aetas, porro domicilium, postremo absentia.

Propter iniquitatem excluduntur qui magistratus minores inve senatu sint fuerintve, denique eorum qui magistratus quive in senatu sint fuerintve patres filii fratres. Quo loco quod maiores magistratus omittuntur ea ratio est, quia hos, quam diu funguntur, neque tutores praetor neque iudices dare potest, ne semet ipso quidem excepto. (Cf. Fragm. Vat. 146. 174 et quae disputavi in libro cui inscribitur: *Recht der Vormundschaft* 2, p. 81; item L. 4 D de tut. et cur. (26, 1) L. 4 D de off. Praet. (1, 14) L. 51 D de rec. q. arb. (4, 8) L. 17 § 4 D de excus. 27, 1). Sane finito officio ob eam rem mora non foret, sed tum etiam maneret suspicio iniquitatis. Quidni enim reis faverent cuperentque quibus eadem lege suae aliquando causae dicendae periculum itidem futurum esset? Itaque maiores magistratus excipere non erat necesse. Quamquam longe alia de causa maiores hoc loco magistratus omissos esse et Klenzium statuisse video p. 29 et Mommsenium p. 65, XII. Putant enim non tam praetermissos esse quam occulte significatos latere sub formula illa ,queive in senatu siet fueritve', versu XIII, quum praesertim qui e magistratu curuli abierint, illo tempore iure quidem senatores non fuerint, sed tamen sententiae in senatu dicendae ius habuerint. At vero et in hac ipsa lege, ubi de his agitur qui accusari repetundarum possunt, (v. I. VIII) et in Cornelia lege (Cic. p. Cluent. c. 54. 57), omnes deinceps, etiam curules, magistratus enumerantur, et tamen additur ,queive quoiusve pater senator siet' sive ,queive in senatu sententiam dixit dixerit'. Iam ut appareat: sub hac formula non curules, tanquam in aliquo angulo ac secessu abscondi, sed eos intellegi, qui nondum gesto magistratu lecti in senatum fuerint (Liv. 23, 23). Itaque ne aediles quidem attinuit excepisse, nam hi quoque ,stipati (ut Varro apud Gellium 13, 13 4, rettulit) servis publicis non modo prendi non poterant, sed etiam ultro submovebant populum'. Quod vero Goettlingius (*Römische Urkunden* p. 40, 1, 16) ex hoc capite efficere tentavit, ut tribuni plebis, quaestores, tres viri capitales, tribuni militum legionibus quatuor primis aliqua earum, tresviri agris dandis adsignandis ne perfuncti quidem magistratu in senatum tum lecti sint, quamvis Valerii Maximi narratione 2, 2, 1 confirmari videatur, tamen minus caute ac cogitate videtur ab

eo viro clarissimo dictum esse, nam eadem ratione dici poterat, ne maiores quidem magistratus in senatu sententiam dixisse.

Atque hoc modo ex una parte inferioribus tenuioribusque remotis, ex altera senatoriis, remanent medii illi Gracchani iudices, iidemque vindices severissimi repetundarum.

Infamiae causae duae tantummodo referuntur: altera eius, qui publico iudicio condemnatus sit, quocirca eum in senatum legi non liceat, fere ut lege Iulia municipali, versu 18, in senatu decurionibus conscriptisque esse vetatur ‚*qui iudicio publico Romae condemnatus est erit quocirca eum in Italia esse non liceat, neque in integrum restitutus est erit*': altera eius qui mercede constituta lanistaturam artemve ludicram fecerit, qua de re diligentius cautum postea fuit edicto praetoris (L. 2 § 5 L. 3 L. 4 pr. § 1 D de his qui not. 3, 2), item verbis legis Iuliae municipalis versu 123 ‚*queive lanistaturam artemve ludic(r)am fecit fecerit*', item versu 113 ‚*queive depugnandei caussa auctoratus est erit, fuit fuerit*', et S. Cto sub Augusto facto: Suet. Aug. 43. Tib. 35. Domit. 8. L. 10 § 2 D ad L. Iul. de adult. (48, 5). De nummariis iudicibus non legendis, quo Klenzius mercedem rettulerat, cavisse nihil attinuit.

Aetatis iustae definitionem tricenariorum confirmat Suetonii locus (Aug. 32), ubi nihil quidquam mutandum esse hac ipsa lege docemur. Sexagenarios incipientis senii ratio (Vlp. 16, 1. 3) a iudicandi munere removisse videtur.

Propter domicilium non legitur qui in urbe Roma propiusve urbem Romam mille passus, quos ultra magistratibus urbanis imperium non est (Liv. 3, 20. 26, 3. Collat. 1, 3. 1. Lex Iul. municip. 2. 26. 67. 68. 77. Gai. 4, 105) non habitat. Nam et in tutelis genus excusationis est si quis Romae tutor datus ibi se neget domicilium habere (L. 45 § 3 L. 46 § 2 D de excus. [27, 1] Fragm. Vat. 173. 241).

Absentia excusatur qui trans mare erit. Similia in tutelis (L. 11 § 2 D de min. 4, 4) aliisque officiis (cf. Lex Coll. aq. v. 8 *Zeitschrift für gesch. Rechtswiss.* 15, 240) invenies. Nondum igitur, id quod Plinii aetate moris fuit, qui de nummo iudicaret a Gadibus columnisque Herculis arcessebatur.

Duo capita, quibus praecipitur, ut praetor sive peregrinus, sive ex hac lege factus, nomina iudicum proponat et optimum quemque legisse interposita iurisiurandi fide adfirmet, contra posita et inter se comparata haec produnt:

(100) Q[*uei in hunc annum inter peregrinos ious deicet, is die . . post quam ex h(ace)*
(129) Quei ex h(ace l(ege) in eu[*m annum quaeret, is die . . post quam ex h(ace)*

b. 14. *l(ege) in eum annum CDL viros legerit, eorum omnium, quei ex*] | h(ace) l(ege)
l(ege) in eum annum CDL viros legerit, eorum omnium, quei ex h(ace) l(ege)

CDL vireis in eum annum lectei erunt, ea uomina omnia in tabula in albo atra-
XVIII. *CDL vireis in eum annum lectei erunt, ea nomina omnia in tabula in albo atra-*

(133) mento scripl[*o*]s patrem, tribum, cognomenque tributimque d[*i*]scriptos hab[*eto*
a. 14. *mento scriptos patr*]em, tribu[*m*] cognomenque tributimque discriptos habeto

eosque propositos suo magistratu, ubei de plano recte legi possitur, habeto. Sei
(85) eosque propositos suo mag[*istratu, ubei de plano recte legi possitur, habeto. Sei*

XV. *quis describere volet, pr(aetor) permittito po|testatemque scribundi quei volet facito.*
b. 18. *quis describere volet, pr(aetor) permittito potestate*]mque scribundi quei volet facito.

a. 11. *Pr(aetor) quei legerit, eos, quos e*]x h(ace) l(ege) CDL viros legerit, facito reci-
Pr(aelor) quei legerit, eos, quos ex h(ace) l(ege) CDL viros legeri[*t*] facito in

(100) lentur in contione, iuratuque sese [*eos ex h(ace) l(ege) legise, de quibus sibei*
conctioue recitenlur, iouraloque sese eos ex h(ace) l(ege) legise, de quibus sibei

consultum siet optumos in eam rem ioudices futuros esse quosque ipse optumos
(130) consul [*tum siet optumos in eam rem ioudices futuros esse quosque ipse optumos*

b. 15. *in eam rem io*]udices exaeslumaverit esse. Eosque CDL viros, quos ex h(ace)
XIX. *in eam rem ioudices exaestumaverit esse. Eosque CDL | viros, quos ex h(ace)*

l(ege) legerit, is pr(aetor) omnis in tabuleis puplicis scriptos in perpeluo habelo. §.
a. 15. *l(ege) legerit, is pr(aetor) omnis in tobuleis puplicis scriptos in perpetuo habeto.*] §.

Lectis ad hunc modum CDL viris quadruplex praetori secundo et quarto capite officium imponitur: albi scribendi, renuntiationis faciendae, iuris iurandi praestandi, denique ut nomina deferat ad aerarium.

Album tributim, relato cuiusvis patre, tribu, cognomine (perinde atque Lege Iulia municipali v. 146 praecipitur) in tabula atramento scribendum, eique qui volet inspiciendi describendique potestas facienda est, dumne quid ex albo corrumpatur (Cf. L. 7-9 D de iurisd. [2, 1 L.] 1 pr. § 1 D Testam. quemadm. 29, 3).

Deinde, advocata concione, quos legerit, indicare, id est indicem eorum, tributim ordinatum, iubere debet per apparitorem recitari, ipse vero solitum illud praetorum qui iudices legerint iusiurandum (Cic. p. Cluent. 43, 121) praestabit:

‚sese eos ex hac lege legisse de quibus sibei consu*ltum sit* optimos in eam rem iudices futuros *quosque ipse optimos* ioudices esse exaestumaverit' (V. XV-XVIII).

‚De quibus sibi consultum sit' hoc est *‚prospectum sit'*, *‚quos causa cognita legerit'*, ut in rescripto imperatorum Severi et Antonini de immunitate Tyranorum (Or. Henzen. n. 6429); *quos credimus satis abundeque sibi consultum, si grati fuerint, existimaturos, quod'* e. q. s. Consultum autem praetori tum esse videtur, si cum consilio collocutus sit deque eius sententia quadringentos quinquaginta viros legerit. — *‚Optimi'* cuiusque mentionem in hac re Cicero p. Cluent. 43, 121 facit his verbis: *‚Deinde praetores urbani, qui iurati debent optimum quemque in selectos iudices referre, nunquam sibi ad eam rem censoriam ignominiam impedimento esse oportere duxerunt'*.

Postremo praetor tam peregrinus quam repetundis animadvertere debet ut CDL virorum nomina in tabulis publicis scripta in perpetuo maneant, id est ut ad aerarium deferantur. Audiamus Ciceronem (Philipp. 5, 5, 15): *hos ille demens iudices legisset, horum nomina ad aerarium detulisset, his magnam partem rei publicae credidisset, si ullam speciem rei publicae cogitavisset?*

De nomine deferundo iudicibusque legundeis. §.

(82) b. 19. Quei ex h(ace) l(ege) pequniam ab a[*liquo eorum petet de quibus h*(ac) *l*(ege) *ioudicium fiet, is eum, unde petet, post ea quam ex h*(*ace*) *l*(*ege*) *CDL vireis in e*]um annum lectei erunt, ad iudicem, in eum annum quei ex h(ac) l(ege) *factus* erit, inious educito nomenque eius deferto.

De nomine deferendo his legis verbis manifesta res fit:

Modo teneamus iudicis nomine uti legem, quo magis uterque praetor, tam peregrinus quam repetundis communiter designetur. Nam iudicum nomine omnes magistratus maiores, etiam consules, censoresque, nedum praetores, recte significantur (Varro de ling. lat. 6, 88 Cic. de leg. 3, 3. 8. Ulpianus de officio consulis L. 5 pr. D de agnosc. lib. (25, 3) L. 1 D de alim. leg. 34, 1).

Aliquanto impeditior alterius partis huius capitis disceptatio est.

Ac sane calumniam ei qui detulerit iurandam fuisse aeque notissima res est (Cic. p. Q. Rosc. 1. ad fam. 8, 8. p. Sull. 31 Ascon. in Cornel. p. 64. Or. Sen. contr. 3, 19. L. 7 pr. D. de D. I. 39, 2).

De reiiciendis vero legendisque ad certam aliquam causam iudicibus haec adhuc fuit et mea et aliorum opinio, centum ex hac lege ab utraque parte edi, inde quinquagenos *ab adversario* reiici, reliquos centum iudicium in eam rem fieri.

Nitebamur illa alternorum sive iudicum sive consiliorum reiectione, quam in recuperatoriis iudiciis, unde reiectioni origo fuit, obtinuisse ac deinceps Aurelia, Vatinia, Pompeia, Iulia privatorum iudiciorum lege propaga-

tam esse intellexeramus. (Cf. Lex agraria c. 17 v. 37. Cic. ad Att. I, 16, in Vatin. 11, 26, p. Mil. 8, 38. Ed. Venafranum (Or. Henzen. n. 6428) v. 64. 65). Atqui numerus repugnat iudicum quingenarius (v. XXV. XXXIX), quem qui ad iudices ab altera tantum parte editos reducturus sit, eius iam vix est, ut ferri sententia possit.

Itaque re nunc diligentius ponderata, Mommsenio, quem principem huius capitis assecutum sententiam esse largior, illud dandum esse arbitror: ita facillime omnia expediri, si statuerimus 1° *primum* reum actori indicare iuberi quibuscum de CDL viris aliqua sibi quaeque necessitudo sit, quae res, quamvis nonnisi praeparationem quandam contineat editionis et reiectionis, tamen editionis nomine et ipsa significatur versibus XIX-XXI; 2° *post haec* de CDL viris ab eo qui petet centumviros legi eos, qui ipsum, quosve ipse, nulla necessitudine attingant, eorumque nomina adversario edi (XXI-XXIV); 3° *deinde* de his centumviris ab eo unde petitur iudices in eam rem legi quinquaginta (XXIV. XXV); 4° *postremo* reo cessante legendi potestatem petitori deferri; 5° in omni denique negotio certa tempora statuta, sacramenta pracscripta esse, totiusque negotii moderamen praetori commissum videri.

Haec igitur nunc singillatim deinceps exsequenda erunt.

Imprimis igitur iudex prospicere iubetur, ut is, nnde petetur, si non primo quoque at saltem decimo die necessarios suos edat iuretque se eorum neminem scientem dolo malo inter CDL viros reliquisse. Quos ediderit, ii iudices in eam rem non debent admitti. Haec ita fere expressa fuisse mihi persuasi:

(130) Sei deiuraverit calumniae causa non po[*stulare, ut nomen eius recipiatur,*
iudex in eum annum quei ex h(ace) l(ege) factus erit, nomen recipito facitoque
XX. a. 16. *utei is unde petetur di*|*e decimo* (¹) *ex eo die, quo delatum*] erit, de CDL vireis,
(82) quei in eum annum ex h(ace) l(ege) lectei erunt arvorsario edat eos om[*nes, quo-*
rum quis ei unde petetur, quoiumve nomen delatum erit, gener, socer, vitricus
b. 20. *pri*]vignus siet, queive ei sobriuus siet, propiusve eum ea cognatione attingat,
queive ei sodalis siet, queive in eodem conlegio siet. Facitoque coram arv[*or*
(132) *sario is quei ita ediderit palam apud se iouret: ,se in CDL vireis, quei in eum*
XXI. *annum ex h(ace) l(ege) lectei erunt nullum reliquisse ni*|*sei quei se earum aliqua*
a. 17. *necesitudine*] non attigeret scientem d(olo) m(alo)'. Itaque is edito [*i*]ouratoque. (²)
(76) Ubei is ita ediderit tum in ea[*m rem quei editi erunt iudices nei sunto.*

(¹) Ascou. in Cornel. 59, 4 Or. ,cum — praetor decimo die, *ut mos est*, adesse iussisset.'
(²) In aere est: couratoque.

Sequitur editio centum virorum et iusiurandum quod de ea re petitorem dare oportet die vicesimo. Edi enim non debent qui praevaricationis causa leguntur, quive una de quatuor causis prohibentur: necessitudine, impedimento, familia, iniquitate.

Praevaricationis causa leguntur qui eum unde petitur earum aliqua necessitudine attingunt quae supra (v. XX) scriptae sunt. Quorum mentionem in fine versus XXI[i] et initio versus XXII[i] excidisse indicant contra positae necessitudines eius qui petet.

Necessitudine prohibentur qui petitorem earum aliqua coniunctione attingunt, quae reo obstaret quominus, qui sibi eadem familiaritate adiuncti essent, eos iudices legeret, neque enim debet actori licere ut ait Vlpianus (L. 42 pr. D de R. I. 50, 17) quod reo non permittitur.

Impedimento repelluntur qui ne a praetore quidem CDL viri in eum annum legi debuerunt, ut quam causam praetor tum aut praetermiserit, aut perpendere, ut postea obortam, nondum potuerit, eam nunc saltem petitor attendat. Verum tamen quina illa CDL virorum legendorum impedimenta hoc loco non repetuntur omnia, sed aetatis, infamiae, domicilii causis praetermissis nonnisi minorum magistratuum et absentium ratio iteratur atque adeo addita triumvirorum coloniae Iunoniae deducendae e lege Rubria curatione amplificatur. Nam Q. Rubrius Varro, C. Gracchi in tribunatu a. u. sive 631 sive 632 collega, tulerat, ut tria millia colonorum in coloniam coloniasve in Africa deducerentur inque eam rem crearentur triumviri (Plut. C. Gracch. c. 11. Appian. de bell. civ. 1, 24. Pun. 136). Qua de re item lege agraria c. 28. v. 59. 60 cautum est his verbis ‚neive unius hominis nomine, quoi e lege Rubria, quae fuit, colono eive quei [*in colonei numero scriptus est — amplius iugera CC data design*]ata fuisse iudicato' e. q. s. et v. 61, [*neive maiorem numerum in Africa hominum in coloniam coloniasve deductum esse fui*]seve iudicato quam quantum numer[*um ex lege Rubria quae fuit — a triumviris coloniae deduc*]endae in Africa hominum in coloniam coloniasve deduci oportuit licuitve.' Quibus ego triumviris ex eadem lege agraria addidissem qui ‚ex plebei scito quod M. Baebius tribunus plebis triumvir coloniae deducendae *tulit*' triumviri descendunt, nisi hoc ad coloniam a. u. 560 Sipontum Apulum deductam, a. u. 568 auctam, renovatam deinde lege Sempronia, nec Servilia Rulli plane praetermissam (Liv. 34, 45. 39, 23. Gromat. p. 210, 11. Cic. agr. 2, 27) referri commodius, quam Q. Rubrii ignoto alicui collegae adscribi Mommsenius

monuisset. Cui quamquam de Sipontina siccitate nondum omnia adducor ut credam, malui tamen inexpletam relinquere lacunam quam incertis coniecturis speciem perpetuae orationis adumbrare. Ceterum quantum legis Rubriae mentio ad legem nostram Gracchanis temporibus adsignandam faciat, ex verbis ,quae fuit' perspicitur. Quae verba ostendunt agrariae legis tempore, hoc est a. u. 643, abrogatam iampridem, i. e. a. u. fere 634, eam legem fuisse, cuius Aciliae tempore vegeta viridisque observatio fuit. Praeterea e CDL virorum et C virorum differentia argumentum capere licet, quam scripta lex fuerit neglegenter. Neque enim quod in illis legendis legis Rubriae, in his recensendis infamiae, aetatis, sedis mentionem nullam facit, id sanam aliquam rationem non habuisse sed scribentis incuriae adtribuendum videtur. Denique admonendi sumus absentiae causas lege collegii fontanorum fullonumve v. 8 ita definitas esse: ,*Qui non trans ma*]re, peregre, longius p(*assus*) CXX rei p[*ublicae*] causa erit, is magistrorum *comitiis adesto*.' In causa vero publica spatia longinquiora statuta fuisse argumento est tutela, quam, nisi ultra ducentesimum lapidem remota esset, administrare senator populi Romani quam maxime cogeretur. (Fragm. Vat. 147).

Familiae nexu inter centumviros edi probibentur plures qui ex eadem domo et gente proditi sint. Rem alias me legere non memini, suspicor tamen observatum olim in senatu legendo a censoribus morem ob metum subornationis in iudicia propagatum esse.

Iniquitate removetur quocum aut Calpurnia Iuniave lege sacramento actum aut cuius ex hac lege nomen quidem delatum nondum tamen condemnatio secuta sit, damnatum enim publico iudicio infamia sequeretur, id quod miror Mommsenium in hoc loco restituendo praetermisisse. Calpurnia quidem lege, imo etiam Acilia, verum recuperatorio iudicio, damnatos infamia notatos non esse, exempla faciunt L. Lentuli (consulis a. u. 598) et C. Catonis (consulis a. u. 640). Quorum alter, lege Caecilia (ut relatum est apud Valerium Maximum, qui debebat Calpurniam nominare, hanc enim solam et temporum ratio admittit et inauditum alioquin inter repetundarum leges Caeciliae nomen relinquit) repetundarum crimine oppressus censor postea (a. u. 607) cum L. Censorino creatus est (Val. M. 6, 7. 10. Festus v. Religionis p. 285 M.). Alter repetundarum ex Macedonia damnatus, quum lis eius HS IV milibus aestimaretur, tum quidem in senatu mansit, (Vell. 2, 8) post ea vero Mamilia lege captarum a Iugurtha pecuniarum, Gracchanis

iudicibus usus, extra ordinem damnatus Tarraconem in Hispania exilium concessit (Sall. Iug. 40. Cic. Brut. 34. p. Sext. 67. p. Balb. 11). Quae quum ita sint, quod repetundarum, id est in publica quidem causa, verum privato tantum iudicio, condemnati, publicove iudicio rei facti, vetantur esse in centumviris, vix est ut alia ratione fiat, quam quod iudex idem patronusve reusve fieri nequit, quia ne diversa quidem in causa aequus iudex futurus esse videretur.

Atque haec quidem impedimenta abesse qui centumviros ediderit dato iure iurando firmare iubetur, nisi forte reus eius iuris iurandi gratiam fecerit, id quod versu XXIV permitti videtur (cf. Plaut. Rud. 5, 3. 55. Suet. Aug. 17. L. 8 § 5. 6 D qui sat. [2, 8] L. 6 D de iureiur. 12, 2). Licere enim reo debet iis renuntiare, quae pro se statuta sunt. Potest tamen, ut actore non iurante eius unde petetur nomen ex reis eximi lex iusserit.

Quibus de rebus totum, qui est de centumviris edendis, locum in hanc formam exhibuerim:

b. 21. *Tum pr(aetor) ad quem is, quei ex hace lege petet, nomen detole*]rit, facitu, utei is
die vicensumo ex eo die, quo quoiusque quisque nomen detolerit, C virus ex eis
quei ex h(ace) l(ege) CDL virei in eum annum lectei erunt, quei vivat, legat
(137) e[*datque, dum nei eorum quem legat edatque, quei eum unde petet quoiusque nomen*
XXII. *detolerit earum aliqua necesitudine atti*|*ngat quae supra scriptae sunt et dum nei quis,*
a. 13. *iud*]ex aiet, quoi is, queive ei ('), quei petet, gener socer vitricus privignusve aiet,
(73) queive ei sobrinus [*siet, propioreve eum ea cognatione attingat, queive in eodem*
b. 22. *conlegio siet, queive*] ei sodalis aiet, queive tr(ibunus) pl(ebis) q(uaestor) III vir
cap(italis), III vir a(gris) d(andis) a(dsignandis), tribun(us) mil(itum) legionibus IIII
prim*is aliqu*]a [*e*]arum siet fueritve [*queive*] in senatu siet fueritve queive l(ege)
(135) Rubri[*a III vir colonis queive in coloni numero scripti fuerint in Africa in colo-*
XXIII. *niam coloniasve deducendis factus siet fuerit*|*ve - - - - - - - queive ab*
a. 19. *urbe Roma plus — milia passuum*] aberit, queive trans mare erit, neive amplius de
(67) una fami[*li*]a unum, neive eum [*legat edatve quei captae coactae conciliatae aver-*
b. 23. *saeve pecuniae reus est eritve aut quod lege Calpu*]rnia aut lege Iunia sacramento
actum est aut quod h(ace) l(ege) nomen de[*latum eri*]t. Quos is C viros ex h(ace)
(136) l(ege) ediderit de eis ita facito iouret palam apud se curam a[*vorsario, nullum se*
edidisse scientem dolo malo quem ob earum causarum aliquam quae supra scriptae
XXIV. a. 20. *sunt inter C viros ede*|*re non liceat, queive se earum aliqua*] necesitudine atingat,
(66) quae supra scripta sient.' [*Is*] unde petitum erit quo mi|[*nus, sei volet, id ius*
iurandum remittat, eius h(ace) l(ege) *nihilum rogato.*

(') Hoc verbum sculptor, quum suo loco errore praetermisisset, litteris minusculis interscripsit.

Centumvirorum lectionem editionemque a petitore factam, triginta diebus interpositis, sequitur iudicum quinquaginta lectio: quae quidem lectio ei permittitur unde petetur. Qua de re ita in lege cautum est:

b 24. *Sei is quei petet C*] viros ediderit iuraritque tum eis Pr(aetor) facito, utei is
unde petetur die L[*X postquam*] eius nomen delatum erit quos C is quei petet ex
(138) h(ace) l(ege) ediderit, de eis iudices qu[*os volet L legat, dum nei quem legat quei se*
earum aliqua necesitudine atingat quae supra scripta est.

Adiectione opus fuit, quia iusiurandum in edendis necessitudinibus a reo praestandum nonnisi in praeteritum dolum conceptum fuit, in futurum non item. Qua de re hanc clausulam adscribendam putavi.

Cessante reo iudicum quinquaginta legendorum potestas ad eum qui nomen detulerit transfertur. Eam contumaciae poenam ita expedivit Mommsenius, ut nihil fere habeam quod addam mutemve praeter unam commemorationem eius ‚*quem ex hace lege de ea re iudicare non liceat*' (XXVI). Qua de re quum in eis quae antecedunt diserte cautum nondum fuerit, equidem eum potius substituerim, ‚*quem ex hace lege in centum viros legere ederque non liceat.*' Quo facto haec quoque clausula tota procederet in integrum hoc modo restituta:

XXV. *Quei ex hace lege petet, nomenve detolerit, sei is quoium nom*]en ex h(ace)
a.12.(66) l(ege) delatum erit L iudices ex h(ace) l(ege) non legerit edideritve seive [*ex CDL*
vireis, quei in eum annum ex h(ace) l(ege) lectei erunt, quei se affinitate cogna-
b. 25. *tion*]e sodalitate atingat, queive in eodem conlegio siet, ex h(ace) l(ege) non e[*di-*
derit tum ei pe]r eum pr(*aetorem* advorsariumve mor[*a*] non e[*rit, quo*] minus
(142) legat edatve [*quos de eis, quos ex hace lege C viros legerit ediderit, L legere edere*
XXVI. *volet, dum nei quem eorum, quem ex hace lege in C viros legere* | *edereque non li-*
a. 22. *ceat, sciens dolo malo ioudic*]em legat. Quei ita lectei erunt, ei in eam rem ioudi-
(66) ces sunto eorumque eiu[*s rei ex h(ace) l(ege) ioudicatio leitisque aestumatio esto.*

Codicis, in quo praetor sortitionem et subsortitionem ex lege Cornelia habere debeat, mentio fit apud plerosque. (Cic. p. Clu. 29. 31. 33. Ps.Ascon. in Verr. 1. 61. p. 201. A. 1. 10. p. 14. Schol. Gronov. p. 386 Or.)

Neque vero arripere iuris utilitatem debet ad legendos iudices adversario iniquos. Nam et lege Cornelia quae de iniuriis lata est, cavetur ut non iudicet qui ei, qui agit, gener socer vitricus privignus sobrinusve est, propiusve eorum quemquam ea cognatione affinitateve attingat, quive eius parentisve eorum patronus erit (L. 5 pr. D de iniur. 47, 10).

Ad summam iudices, qui ferant sententias relinquuntur quinquaginta, ut uno minor, quam qui lege Pompeia de vi (Ascon. in Milon. p. 40) definitur, statutus numerus fuerit. Vnde error corrigendus est in quem aliis plerisque praeeuntibus incidi in historia iuris (II § 103 not. 12), ubi centum ex lege nostra iudices sedisse, re nondum satis perspecta, et ipse statueram.

b. 26. *Iudicum patronorumque nomina*] utei scripta in taboleis habeantur. §.
Pr(aetor) quei ex h(ace) l(ege) quaeret, fac[*ito eos L viros, qu*]os is, quei petet
(148) et unde petetur ex h(ace) l(ege) legerint ed[*iderin*]t eosque pat[*ronos, quos ei, quei*
petet, ex hace lege dederit, quei eorum ex h(ace) l(ege) [1] *repudiatus non fuerit,*
XXVII. *in taboleis poplicis scriptos in perpetuom* | *habeto. Quei ita scriptei erunt, eorum*
a. 23. *nominn eiei qu*]ei petiverit et unde petitum erit, quei eorum volet, ex taboleis
(66) popli[*cis describendi is praetor quei ex h(ace) l(ege) quaeret potestatem facito* §.

‚*Moris erat, celebrata iudicum reiectione et haberi in officio praetoris et in arca reponi nomina iudicum delectorum.*' Sunt verba interpretis (p. 131, 17 Orellianae editionis), quibus illustrat id quod Cicero ait in Verr. Actione I cap. 6 § 17 ‚*Libelli nominum vestrorum consiliique huius in manibus erunt omnium.*' Ad eundem locum interpres Gronovianus p. 392, 40 haec annotat: ‚*Nomina iudicum' apud quaestorem ponebantur et aliquando quaesitor corruptus nomina pro nominibus inserebat, hoc est tollebat honestorum nomina et ponebat levium. Hoc sciens Cicero plures libellos fecit et per multos, qui iuxta tribunal starent, distribuit, scilicet, ne quis auderet populo teste peccare.* Et interpres Gronovianus alter p. 398, 17: ‚*Nomina iudicum in albo publice scribebantur qui in eo essent iudicio futuri iudices. Ex eo albo, quibus erat curae de integritate iudicii nomina transcribebant et apud se tenebant, ut possent nosse, qui de quo negotio iudicarent. Dicit itaque huius consilii iudicum nomina in omnium manibus retenta bene scientibus adprobata, ne possint aliqua ratione mutari.*' Eodemque spectat locus ex ipsius Ciceronis quae pro Avito Cluentio habita est oratione 33, 91: ‚*Multam* inquit, *petivit ... quod C. Verres, praetor urbanus, homo sanctus et diligens, subsortitionem eius in eo codice non haberet qui tum interlitus proferebatur,*' item quae de Iuniana illa subsortitione et ipse profert in Verr. Act. 2. Lib. 1. cap. 61 et Pseudo-Ascon. p. 141. 210.

De describendi potestate facienda imperatorum temporibus senatus censuit: lege peculatus teneri eos, qui iniussu eius, qui ei rei praeerit, tabu-

[1] versibus XI. XII.

larum publicarum inspiciendarum describendarumque potestatem fecerint. (L. 9. D ad L. Iul. pecul. [48, 13] cf. L. 1. pr. D test. quemadm. [29, 3] L. 48 § 6 D de I. F. [49, 14] L. 10 § 2 D de ed. [2, 13] Paul. 4, 6, 1.)

b. 27. **Eisdem ioudices unius rei in perpetuom sient. §.**

Quei ioudices L [*ex h(ace) l(ege) lectei erunt*] quam in rem eis iudices lectei
(178) erunt [*eius rei iudices in perpetuom sunto, neive pr(aetor), quei deinceps fuerit, in eam rem alios iudices legi iubeto nisei quoi acciderit quod circa eum ex h(ace) l(ege)*
XXVIII. *iudicem legi non liceat*].

Legitima iudicia finito praetoris imperio non exspirare notissima res est. (Gai. 4, 103-105. 109). Vnde idem ius offendimus in lege Cornelia, qua lege Cicero (in Verr. Act. 1. cap. 10 § 30) consilium iudicum negat ex Kalendis Ianuariis proximis commutatum iri, nisi forte uni et alteri iudici magistratus ineundus quaestiove exercenda aut nisi qui iudices veteres tribuni militares designati sint, iam ut in eorum locum alios subsortiri oporteat.

Quei pequniam ex h(ace) l(ege) ceperit, id eiei fraudei nei siet.

a. 24. Quei pequniam ex h(ace) l(ege) capiet, eum ob eam rem, quod pequniam ex
(66) h(ace) l(ege) ceper[*it, quei quomque hace in ceivitate censum populei aget in aera-*
b. 28. *rios nei referto*], neive [*tribu mo*]veto, neive equom adimito, neive quid ei ob eam rem fraudei esto.

Hoc caput infestissimum nobilitati, Gracchanos non modo iudices, verum etiam indices delatoresque inmittere senatoribus equites Romanos videtur, quum et equum adimi accusatoribus neget, quo senatores constat post annum 625 non meruisse, et ‚istum turpissimum calumniae quaestum' sive ‚vulgare praemium' (his enim nominibus video apud Ciceronem de Or. 2, 55, 226 Crassum oratorem, et in lege 13 § 5 D de I. F. [49, 14] Paulum ICtum delatoris lucrum denotasse) quum, inquam, vile alioquin ac contemptibile quaestus genus, omni probro atque turpitudine liberet.

Aliud enim est *contra* leges, aliud *ex* hac lege pecuniam cepisse. Illud quidem et poena legitima sequitur et animadversio censoria, (Cic. p. Cluent. 42, 120. 43, 121. 47, 131. 132): huic non modo impunitas verum etiam praemia praestituta sunt.

Ex lege vero pecuniam capere videntur indices, comites, quadruplatores.

De indicibus est ut dubites, siquidem Scholiasta (p. 114, 9 Orell.) *‚Certae personae'* ait *‚sunt quae indices fieri possint. Itaque neque repetun-*

darum causa per indices agi solet, neque senatoria persona potest indicium profiteri salvis legibus. Index est autem, qui facinoris cuius ipse est socius, latebras indicat impunitate proposita'. Verum hoc ipse locus divinationis Caecilianae, (11, 34) de quo ille ibi commentatus est, haud quaquam indubitate confirmat: ,*si tibi indicium*' inquit ,*postulas dari, quod tecum una fecerit, concedo, si id lege permittitur.*' Neque facile est ad intellegendum, quidni quaestor praetoris sui facinorum, quorum particeps ipse fuerit, indicium facere possit. Nam et lege Cornelia de iniuriis ,*ei qui indicasset, sive liber sive servus sit pro modo substantiae accusatae personae, aestimatione iudicis, pretium constituitur*' (L. 5 § 11 D de iniur. 47, 10) et quod senatoriam personam indicium profiteri posse interpres negat, id certe in equestrem ordinem et C. Gracchum non cadit, quem lege sua iudiciaria hoc ipsum egisse ,*ut equestrem ordinem tunc cum senatu consentientem corrumperet*', idem ille, qui T. Livii librum LX^{mum} in angustum coegit, neutiquam contemnendus auctor rettulit. Nam et Iulius Florus epitomae de Tito Livio bellorum omnium libro secundo capite quinto (p. 82 Iahn) ,*iudiciaria lege,* inquit, *Gracchi diviserant populum Romanum et bicipitem ex una fecerant civitatem. equites Romani tanta potestate subnixi, ut qui fata fortunasque principum haberent in manu, interceptis vectigalibus peculabantur suo iure rem publicam.*'

Comitibus inquisitoris ad instruendam accusationem sumptus et viatica tam large dabantur, ut posterioribus pecuniarum repetundarum legibus modus ei rei statuendus esset. (Cic. p. Flacc. 5, 13 et Schol. p. 235 Or.).

,*Quadruplatores*' denique ,*dicebantur qui eo quaestu se tuebantur et eas res persequerentur, quarum ex legibus quadrupli erat actio.*' Ita Festus p. 238 M. Alii aliter: ut Tacitus Ann. 4, 20 et Schol. p. 110, 9. 208, 23 Or., qui eos intellegunt, quibus ex lege aliqua quarta pars debetur de bonis proscriptorum. Horum sententiam ad rem ipsam, superiorem ad originem verbi accommodatiorem esse dixerim. Certe enim repetundarum pecuniarum causae quadruplatores intervenisse constat ante quam de ea re quadrupli agere liceret. (Cic. Div. in Q. Caecil. 7, 24. in Verr. Act. 2. Lib. 2. c. 8. § 22. de Or. 2, 55. cf. Plaut. Pers. 1, 2. 18).

Quod iubet lex ,*neive quid ei ob eam rem fraudi esto*' exemplo adiuvatur senatus consulti de Bacchanalibus facti, quo consules ,*indicibus Aebutio ac Feceniae ne fraudi ea res sit, curare, et alios indices praemiis*

invitare iubent. sacerdotes eorum sacrorum — non Romae modo, sed per omnia fora et conciliabula conquiri, ut in consulum potestate essent.' (Liv. 39, 14).

Diversam de hoc capite sententiam Mommsenius tulit (p. 66). Negat enim ordini rerum consentaneum esse, hoc loco post iudicium constitutum et ante iudicium adversus exulem agi de praemiis accusatoris. At caverat lex versu XXIII°, qui contra legem repetundarum pecuniam cepisset, is ex hac lege iudex ne esset, itaque sane alienum non erat prospicere, si qui pecuniam quidem cepissent, verum ex hac lege, non contra legem, uti ne ea res eis fraudi esset, quo minus eis iudicibus esse liceret, si forte a censoribus equum vendere iussi, tribuve moti ignominia notati essent. Quam vero praeterea Mommsenius rationem adiecit: neminem adhuc in repetundarum causa accusatori pecuniam praemii loco datam esse fando audivisse, ea in quadruplatores indicesve certe non cadit. Qua de re non putavi in Mommsenii sententiam discedendum esse statuentis: poenam aliquam adversus iudicem fortasse hoc loco praecessisse, qui ‚*nescio quid contra hanc legem fecerit*', quam cum lex indici totam partemve attribuat, propter invidiam cum ea re coniunctam simul prospectum esse, ne ea res indici fraudi esset.

[*Nomina puplice sc*]ripta sient. §.

(184) Pr(aetor), quei ex h(ace) l(ege) [*quaeret, eorum nomina, quei ex h(ace) l(ege) pequniam ceperint, in taboleis puplicis scripta in perpetuom habeto eieique unde petetur describendi potestatem facito*].

Huius capitis propter calumniam praevaricationemque id genus hominum usque adeo manifesta et aequitas et utilitas est, ut non dubitem, quin sententiam eius adsecutus sim, maxime quum et M. Cicero non sine causa nemini etiam nequissimo cuique non in contemptu habitas esse praedicet accusationes quadruplatorum. ‚*Petit Naevius Turpio quidam* — sunt verba in Verrem actionis secundae ex libri secundi capite octavo petita — *istius excursor et emissarius, homo omnium ex illo conventu quadruplatorum deterrimus.*' Idem de Verre locutus: *Videt enim*, inquit, *si a pueris nobilibus, quos adhuc elusit, si a quadruplatoribus, quos non sine causa contempsit ac pro nihilo putavit, accusandi voluntas ad viros fortes spectatosque homines translata sit, se in iudiciis dominari non posse.*

XXXIX. *Res utei | queeratur ab eo quei poet quam nomen delatum erit,*
a. 25. *mortuos fu*]erit aut in exilium abierit.

(66) Quoium nomen ex h(ace) l(ege) delatum eri[*t, sei is, post ea quam eius*
b. 29. *nomen delatum erit, prius mortuos fuerit, aut in exili*]um abierit, quam ea res
[*iu*]dicata erit, pr(aetor), ad quem eius nomen de[*latum erit, eam*] rem ab eis
(188) item quaerito [*deque ea re iudicari litesque eorum aestumari item iubeto, quasei sei is, quoius nomen ex hace lege delatum erit, prius mortuos non esset aut in exilium non abisset.*

Dicta in mortuum, eumve qui mortui loco est, sententia nullius sane momenti haberetur. (L. 2. D quae sent. [49, 8] L. 74. § 2. D de iud. [5, 1] L. 42. § 1. D de nox. act. [9, 4] L. 30. pr. D de fid. lib. [40, 5] L. 29. D de op. lib. [38, 1] L. 33. D de fidei. 46, 1). In heredes vero, etsi poenae non transeunt, tamen ‚*rei ab eis quaerendae*' hoc est persequendae nomine et calculi ratione (nam aliud est *rem ab aliquo,* aliud *de aliqua re quaerere*) actio non solum transmittitur, verum intra annum duntaxat a morte eius qui arguebatur ex integro etiam instituitur. (L. 2. D ad L. Iul. rep. [48, 12] L. 2. C. eod. [9, 27] L. 33. D de O. et A. 44, 7). Exempla suppeditant Plinius Ep. 3, 9. in hunc modum ‚*Ille* (*Caecilius Classicus*) *accusationem vel fortuita vel voluntaria morte praevertit. — Nihilominus Baetica etiam in defuncti accusatione perstabat. Provisum hoc legibus, intermissum tamen et post longam intercapedinem tunc reductum. — Bona Classici, quae habuisset ante provinciam, placuit senatui a reliquis separari, illa filiae, haec spoliatis relinqui. Additum est, ut pecuniae, quas creditoribus solverat, revocarentur*'. Item Capitolinus in Pio c. 10. ‚*si quos repetundarum damnavit, eorum liberis bona paterna restituit, ea tamen lege, ut illi provincialibus redderent, quod parentes acceperant*'.

Atque ita quidem res se habet lege Iulia lata. De lege Cornelia et antiquioribus quidam aliter statuunt propter fucatam quandam ornatamque narratiunculam Valerii Maximi (IX., 12. 7) Is enim C. Licinium Macrum, virum praetorium repetundarum reum ‚*quum sententiae dicerentur*' quumque M. Ciceronem, qui id iudicium praetor cogebat, ‚*praetextam ponentem vidisset*', ad eum misisse refert, ‚*qui diceret se non damnatum sed reum perisse, nec sua bona hastae posse subiici*' itaque poenam morte praecurrisse. Qua re cognita Ciceronem de eo nihil pronuntiasse et ita filium eius Calvum et ab inopia rei familiaris et a crimine domesticae damnationis vindicasse. Haec ille. At enim ipse Cicero (ad Att. 1, 4) disertis verbis tradit fuisse

damnatum Macrum seque maiorem inde fructum ex populi existimatione cepisse, quam ex ipsius, si absolutus esset, gratia cepisset. Itaque vix me patiar adduci ut credam illud novum fuisse in lege Iulia, sed puto, condictionis furtivae ratione translatum de Cornelia, imo vero etiam de Servilia et Acilia; quamquam quod dicitur: qui mori maluerit quam vivere, ob conscientiam criminis, eum in eadem causa esse quasi viveret (L. 6. § 7. D de iniusto 28, 3) L. 3. D de bon. cor. (48, 21) L. 5. C. si reus vel accusator mortuus fuerit 9, 6) id ad gravissima tantum crimina non ad modica furta pertinere certum est.

XXX. *De i|nquisitione ex h(ace) l(ege) faciunda.*

a. 26. *Pr(aetor) quei ex hace lege quaeret, postquam*] nomen ex h(ace) l(ege) ad
(66) se delatum erit, facito, utei ioudicium p[*er testes, tabolas, libros, leiteras in-*
b. 30. *struatur eique quei petet diem dato utei q*]uod recte factum esse volet, dum nei
quid advorsus h(ance) l(egem) fiat [*ob inquisitionem fac*]iundam, neive post
(189) h(ance) l(egem) [*rogatam in terra Italia amplius .. aut extra terram Italiam*
amplius .. testibus taboleis libreis leitereisve conquaerendeis dies dentur. Quei
XXXI. *dies eiei ex hace lege* | *datei erunt, in eis diebus pr(aetor), quei ex hace lege*
a. 27. (68) *quaeret, iubeto*] conquaeri in terra Italia in oppedeis foreis conciliab[*oleis ubei*
b. 31. *ioure deicundo praesse solent, aut extra Italiam in oppedeis foreis con*]cilia-
boleis ubei ioure deicundo praesse solent. In quibus di[*ebus eum quei petet*
(190) *prae*]tor quei ex h(ace) l(ege) quaere[*t, conquaerere iouserit, in eis diebus quei*
ibei ioure deicundo praeerunt, quod eius rei quaerundai censeant refer(r)e, facito sibei renuntient.

Hac tenus de personis iudicum, accusatorum, reorum actum fuit. Sequuntur officia inquisitorum dandaeque instrumentorum causa dilationes. Eiusmodi caput deinceps in omnes repetundarum leges translatum fuit: Serviliam, (Ascon. in Scaur. p. 21, 10. Or.), Corneliam (Cic. in Verr. Act. 1. c. 2 § 6., Act. 2. Lib. 1. c. 11 § 30, Lib. 2. cap. 4 § 11, cap. 27. Lib. 3. cap. 66. Pseudo-Ascon. p. 125), Iuliam (Ascon. in Scaur. 19, 11. Cic. p. L. Flacc. 5 § 13. 6.) Fufiam Vatiniamve (Schol. p. 235, 10. Or.). Quibus legibus et deinceps constitutionibus principum et dilationis finis praescriptus et comitum certus numerus constitutus est. Dilationem enim instrumentorum causa, qui de ea re cognoscerent, duntaxat semel dare eamque pro longinquitate itineris et negotii difficultate metiri iussos esse et ICti referunt (L. 28 § 1. D de app. (49, 1) L. 7. D de fer. (2, 12) L. 1. C de dilat. 3, 12) et rerum auctores ut Tacitus (A. 13, 43) Plinius (nat. hist. 29, 1. 8) et alter (Ep. 3, 9. 5, 20. 10, 85) allatis exemplis confirmant.

In conquirendis instrumentis eorum opera carere accusator non potest, *,qui iure dicundo praeesse solent'*. Quo nomine significantur magistratus locorum penes quos iurisdictio coercitioque est. Quippe in cenotaphio Pisano quod apud Orellium numero 642. signatum est, inferiae mitti manibus L. Caesaris iubentur *,per magistraus, eosve qui ibi iuri dicendo praerunt'*. Item in cenotaphio C. Caesaris n. 643. *,cum in colonia nostra propter contentiones candidatorum magistratus non essent'* de iustis faciendis *,universi decuriones colonique, quando eo casu in colonia neque II vir neque praefecti erant, neque quisquam iure dicundo praerat, inter se consenserunt'*, uti *,quod annis publice mánibus eius per magistrátus eosve qui Pisis iure dicundo praerunt — parentetur'* et infra *,utique cum primum per legem coloniae duo viros creare et habere potuerimus ii duo viri qui primi creati erunt hoc quod decurionibus et universis colonis placuit ad decuriones referant* e. q. s. Festus v. Vici p. 372 M. *,sed ex vicis partim habent rem p(ublicam) et ius dicitur, partim nihil eorum et tamen ibi nundinae aguntur negotii gerendi causa et magistri vici item magistri pa(g)i quotannis fiunt'*.

Ceterum ipsa instrumentorum appellatio satis demonstrat, testibus libris litteris non *,perfici'* iudicium (ut Mommsenius supplevit) sed instrui. Etenim *,Instrumentorum nomine ea omnia accipienda sunt, quibus causa instrui potest: et ideo tam testimonia quam personae instrumentorum loco habentur'*. Sunt verba Pauli ex libro sententiarum secundo in L. 1. D de fide instr. (22, 4) collata. Quibus constanter Cicero pro Cluent. 6, 18 *,hoc enim ipsum'* inquit *,iudicium—omnis testium copia, quae futura est a matre hoc tempore instruitur'*.

XXXII. *De | testimonio denuntiando testibusque cogendeis.*

a. 28. *Praetor quei ex h(ace) l(ege) quaeret postquam*] audierit quod eius rei
68 quaerundai censeant refere et o[*pinionem*(¹) *probaverit, tum eum quei pe-*

(¹) *,Causam'* effecit Mommsenius. Sed Ritschelii tabula O litteram exhibet manifestissimam. Censorum *,opinionem'* commemorat Cicero p. Cluent. 43, 121 44, 125 47, f. praesidis *opinio* missa principi refertur L. 6. § 1. D de int. et rel. (48, 22) L. 6. D de app. rec. (49, 5). Ex diverso maioris magistratus est ad minorem *,litteras'* dare. Cic. Verr. Act. 2. Lib. 2. c. 26. § 64. *,nisi — apud Siculos non Metelli sed Glabrionis litteris ac lege pugnassem, tam multos huc evocare non potuissem'*. Fragm. Vat. 163. *,intra diem decimum quam*

b. 32. *tet quibus eorum volet, d(um) t(axat) hominibus IIL, denontia*]re iubeto et
quom e[*o*] res agetur, quam in rem quisque testis er[*it, in eam rem facito eis*]
(191) omnes adsienl testimo[*niumque deicant, dum nei quem invitum deicere iubeat,*
quei ei unde petetur quoive is gener socer vitricus privignusque siet, queive eiei
XXXIII. *sobrinus siet propiusve eum ea c*¦*ognatione atingat, quoiusve in fide is siet ma-*
a. 29. (65) *ioresve in maio*]rum eius fide [*f*]u[*e*]r[*in*]t, qoeive in fide eius siet maioresv[*e in*
maiorum eius fide fuerint, queive eius, quoius ex h(ace) l(ege) nomen delatum
b. 33. *erit, ca*]usam deicet, dum taxat unum, queive eius parentisve eius [*leibertus lei-*
berta]ve siet.

Duo esse genera testium, alterum voluntariorum, alterum, quibus iudex inquisitorve, si is eius rei potestatem impetraverit, lege denuntiare eosque testimonii dicendi causa e municipio provinciave in urbem evocare soleat, notissimi iuris est. In lege incerta inter a. u. c. 621 et 636 lata, quae exstat in tabula reperta Bantiae (Mommsen Corp. inscr. p. 45) v. 3. 4. legitur: ‚[*neive is* | *testumon*]ium deicito neive quis mag(istratus) testumonium poplice ei de[*ferri neive den*]ontiari | [*sinito*]'. Cf. Cic. in Verr. Act. 2. Lib. 1. cap. 19. § 51, Lib. 2. cap. 4. § 12. cap. 26. § 64. cap. 27. Quintil. 5, 7. 9. Plin. Ep. 3, 9. 5, 20. 6, 5. 13. L. 1. § 2. L. 3. § 6. D de test. (22, 5) L. 26. § 9. D ex quib. ca. mai. (4, 6) L. 2. § 3. D de iud. (5, 1). Io. Henr. Alfred. Escheri de testium ratione, quae Romae Ciceronis aetate obtinuit. Turici 1842 p. 55 sq.

Et in recuperatoriis quidem iudiciis sicubi rei publicae interest, velut de termino moto Lege Mamilia capite quinto testibus duntaxat decem denuntiandi potestas fit; in capitalibus vero causis maior numerus statutus esse solet, Acilia enim lex admissis testibus duodequinquaginta duodenarium quadruplat, Iulia ne decies quidem ductum recusat (Val. Max. 8, 1. 10) principumque demum constitutionibus provisum fuit, ne effrenata potestate ad vexandos homines superflua multitudo testium protraheretur (L. 1. § 2. D de testib. 22, 5).

Sunt tamen, quibus invitis denuntiari non possit, ut testimonium dicant propter aliquam necessitudinem: affines, cognati, liberti, clientes, patroni causae. Iidem excipiuntur Lege Cornelia: ‚*te mihi*' — sunt verba Ciceronis (in Verr. Act. 2ª Libº 2. cap. 8. § 24.) Hortensium significantis — *testem in hoc crimine eripuit non istius innocentia sed legis exceptio.* Item

---

litteras reddidit magistratibus rescriptas deposcat et ubi eas acceperit debebit reddere praetori —'

in lege Iulia de vi publica capite LXXXVII° (Collat. IX. 9. 3), in lege Iulia publicorum iudiciorum (L. 4. D de testib. 22, 5) mandatisque principum, ubi cavetur generatim: *ut praesides attendant ne patroni in causa, cui patrocinium praestiterunt, testimonium dicant* (L. 25. D de testib. 22, 5), nec adiicitur, ut, quemadmodum nonnisi unus actoris nomen obtinet, ceteri subscribunt, ita eorum quoque, qui eius unde petitur causam dicunt, unus duntaxat excipiatur.

(195) De in[*roganda multa.*

Pr(aetor) quei ex h(ace) l(ege) quaeret, quo minus ei quei testimonium non deicet, multam, quantam volet, dum minoris partis familiae taxat, inroget, eius h(ace) l(ege) nihilum rogato.

Quum esset superiore capite definitum, quot quibusque hominibus testimonium denuntiare liceat, consentaneum fuit hoc loco statuisse, quibus modis ii compellantur venire. Coget autem eos Praetor non manu ministrorum sed multae irrogatione (cf. L. 1. § 2. D si ventris 25, 5. L. 9. § 6. D ad L. Iul. pec. 48, 13).

Sed utrum soli praetori mnltatio detur, an eadem magistratibus concedatur qui iure dicundo praeesse solent, merito dubitatur. Nam his secundum ius potestatis suae concessum et ipsis erat iurisdictionem suam defendere poenali iudicio (Tit. D 2, 3 si quis ius dicenti non obtemperaverit), compellere aliquem venire, (Fragm. Vat. 162) pignus capere, (L. 29. § 7. D ad L. Aquil. 9, 2), multam dicere (Or. 2488). Puto tamen verius soli praetori multationem lege permitti, quandoquidem ei soli evocatio conceditur.

Nec minus quaeritur de modo multae: supremamne duntaxat, prout versu XLIV continetur, hoc est perquam modicam, an decem millium nummorum, ut versu XLVII, an vero etiam dimidii familiae multam inrogare liceat, ut in lege incerta reperta Bantiae versu 11. 12 (Mommsen corp. inscr. lat. p. 45) praescriptum est: ‚*Sei quis magistratus multam irrogare volet* [*quantam volet dum minoris*] *partus familiae taxsat, liceto*'. In quam ego sententiam ideo propensior sum, quia in suprema multa dictio magistratus, in decem millium poena legis definitio satis abundeque sufficit, ut die dicta ad populum et irrogatione multae opus non sit, nisi quis dixerit irrogandi verbum minus proprie positum esse.

Ceterum Cornelius Sulla in hac ipsa specie multae irrogationi poenam substituit legitimam. Qua de re Cicero (in Verrem 4, 66, 149) *‚nisi legis*' ait *‚sanctionem poenamque recitassem, tabularum mihi potestas facta non esset*'.

XXXIV. *De testibus | producendeis.*

a. 30. *Sei is, quei petet, quos ita ex hace lege evocari*]t secumve duxerit[1],
(61) dum taxat homines III., earum re[*rum causa, quas in iudicio proferre volet, et*
b. 34. *sei inquisitionem fecerit, e*]a, quai ita conquaesiverit, et seiqua tabulas libros
(197) leiterasve pop[*licas preivatasve produc*]ere[2] proferrequ[*e volet apud praetorem*
quei inter peregrinos ious deicet, eumve praetorem, quei ex hace lege factus erit,
XXXV. *ante quam primum causa dicetur, in quam evocarit se*|*cumve duxerit homines*
a. 31. *d(um) t(axat) III., tabulas libros leiterasve conquaesiverit, quaer*]ive de ea re
(66) volet apud (eum) pr(aetorem), is[3] praetor ei moram ne fa[*cito, quo minus*
b. 35. *testes producantur, tabulae proferantur, quove minus de ea re quae*]rat §.

Hoc ideo permittitur, ut si forte testis morte interceptus fuerit antequam iudices iuraverint consederintque, saltem testimonio eius uti liceat, licet testimonio non tantum quantum testi credatur. Sic Cicero in Verrem Act. 2. Libro 1. cap. 31. § 78. *‚habeo enim*, inquit, *testimonium tuum, quod apud Neronem dixisti, habeo quas ad eundem litteras misisti. Recita hunc ipsum locum de testimonio — Recita ex Verris litteris ad Neronem*... Idem pro Cluent. capite 23: *numquid aliud in illis iudiciis versatum est—? Exstat memoria: sunt tabulae publicae: — testium dicta recita* e. q. s., quamquam hoc loco non de testimonio in hac ipsa causa ante iudicium, sed in alia causa suo loco et ordine dicto agi manifestum est. Quid quod pridem M. Cato, quamquam alio genere iudicii, quod tamen a repetundarum causa non multum dissideret, in fragmento orationis quod exstat apud Frontonem missa ad Antoninum imp. epistola 1, 2 (Meyer fragm. or. R. p. 30 ed. 2) tabularum prolatarum mentionem facit his verbis: *‚Iussi caudicem proferri ubi mea oratio scripta erat. de ea re, quod sponsionem feceram cum M. Cornelio, tabulae prolatae*'? Nam M. Cornelius, a partibus qui

---

[1] Cic. in Verr. 2, 2. cap. 26, § 64. de accusatore: *‚tam multos huc evocare non potuissem*'. Id. p. Flacc. 7, 18. ‚ego testes a Sicilia publice *duxi*'.

[2] *Produci* proprie testes, *proferri* in iudicio litteras notum est: Cic. Verr. Act. 1, 18, 56. Act. 2. Lib. 5. cap. 43 § 113. c. 50, § 131 f. L. 23. 24. D de testib. (22, 5). L. 20. D de quaest. (48, 18). Paul. 5, 15. 1.

[3] Cf. versus legis LI.

staret Scipionis, M. Catonem ,de sumptu suo quum in Hispaniam proficisceretur' deque male administrata provincia probris lacessiverat. Cato quum sponsione se defendisset, eamque vicisset apud iudicem, orationem conscripsit, qua enarratione praeiudicii loco usus postea fuit die sibi dicta apud populum. Huius diei mentionem deinde facit in eo dierum dictarum libro quem inscripsit ,de sumptu suo'. Ita fere rem expedivit Henricus Iordan, quaestionum Catonianarum (Berol. 1856) p. 25, rectius opinor quam alii qui de stipulationis tabulis prolatis cogitaverant.

Praetor utei interroget. §.

(229) Pr(aetor) quei ex h(ace) l(ege) q[*uaeret testes interrogato testimoniaque, quae apud ee deicentur, tabulas, libros, leiterasve poplicas privatasque quae proferentur iudicum signis obsignari et in aede deponi iubeto.*

Quum privatae tabellionis signatorumque testationis fides non sufficeret (Quintil. 5, 7. § 1. 32. L. 21. D de his qui not. [3, 2] L. 9. § 5. de poen. 48, 19), privatae consignationis loco publicam leges testationem instituerunt. Quemadmodum enim testibus datum in re praesenti iusiurandam, ita testimoniis consensus signantium, ut Quintilianus I. O. V, 7. 32 ait, fidem facit, dumne de ipsorum signatorum fide et auctoritate dubitari ita possit ut de Bacchanalibus locutus dicit Livius 39, 8 ,*falsi testes, falsa signa testimoniaque et indicia ex* (illa) *officina exibant*'. Neque solum testimonia verum etiam tabulas signatorum signis obsignari et in publico poni repetundarum leges iubebant. Certe Cicero (pro Flacco cap. 9. § 21) de Lege Iulia repetundarum locutus sic queritur: ,*Triduo lex ad praetorem deferri, iudicum signis obsignari iubet. Tricesimo die vix deferuntur. Ne corrumpi tabulae facile possint, idcirco lex obsignatas in publico poni voluit. Quid refert igitur tanto post ad iudices deferantur an omnino non deferantur?*' Quumque et interrogare (1) legibus et testes coram iudicibus examinare (2) accusatoris reive, non praetoris, sit, cupio eqnidem scire, quo possit haec, quam hoc loco disertis verbis (et quod quidem practermittendum non est

(1) Cf. Cic. p. dom. 29. ,*Quis me unquam ulla lege interrogavit? quis postulavit? quis diem dixit?* Tac. Ann. 14, 46 ,*Damnatus Priscus repetundarum, Bithynis interrogantibus*'. C. Titius apud Macrob. Sat. 2, 12. ,*Iudex testes poscit. Ipsus it minctum. Vbi redit, ait se omnia audivisse, tabulas poscit* e. q. s.

(2) Escher de test. rat. p. 100 seq. Cic. in Vatin. c. 1. p. Flacc. 6, 12. 10, 22. Ascon. in Milon. p. 44, 11. 29.

ante quam primum causa dicatur iudicesque iurent) lex instituit, praetoris interrogatio, referri commodius, quam ad excutiendas interim et ut dicere solemus valetudinis ac perpetuae memoriae causa susceptas probationes, quas ex inquisitione secum accusator reportaverit.

XXXVI. *Iudicec utei iourent ante qu|am primum causa dicatur.*

a. 32. *Pr(aetor) quei ex hoce lege quaeret, quei in ea*]m rem ioudices erunt, ante
(71) quam primum causa d[*eicetur, omnes pro rostreis in forum versus palam luci*
b. 36. *utei infra e(criptum) e(st) apud ee iurent facit*]o. Iudices, quei in eam rem
(229) erunt, omnes pro rostreis in forum [*versus palam luci per Iovem Deosque Pe-*
nateis in haec verba iouranto: facturum se, utei quod recte factum esse volet,
utei eius, quel petet, patronorumve, quei in eam rem erunt eiusque unde petetur,
XXXVII. *queive eius causam dei|cet, verba audiat, facturumque ee, utei quod recte factum*
a. 33. (74) *esse vo*]let, utei testium, quei [*in*] eam rem erunt, verba audiat [*uteique eius,*
quei tabulas, libros, leiterasve recitabit, verba audiat, neque facturum, quo]
b. 37. (231) eam rem minus ioudicet, nisei sei quae causa erit, quae eiei [*iustam exceptionem*
pariat quo minus eam rem ioudicet. Deque ea causa praetori, quei ex h(ace)
l(ege) quaeret, cognoscere iudiciumve dare h(ace) l(ege) liceto.

Hoc iusiurandum ad cognoscendam, non ad iudicandam causam pertinet, de qua alterum iusiurandum praestandum est, quod paulo inferius proponetur. Qua de re in formanda capitis huius praescriptione paullulum dissidendum fuit a Mommsenio qui fecit: Ioudices utei iourent antequam *considant.* Quippe considunt non modo cognituri, verum etiam iudicaturi.

Iurisiurandi formam suppeditat quod in tabula Bantina scriptum suppar aetate plebiscitum est: nam ad Gracchana tempora mentio triumvirorum agris dandis adsignandis qui fuerunt ab anno 621 usque ad annum 636, ostendit et ipsum ascendere. Ibi enim a versu 14 ad versum 19 omnes deinceps magistratus item iudex ex ea ipsa lege plebeivescito factus ‚*palam luci in forum versus*' et quidem ‚*per Iovem Deosque Penates*' iurare iubentur.

Iam vero in cognoscenda causa convenit officio iudicis, partium, patronorum, testium, testimonia recitantium verba attente audire, potest enim fieri, ut praeter patronos et ipse reus pro se causam dicat, id quod M. Scaurum fecisse ac magno opere indices movisse refert Asconius in Scaurianae interpretatione p. 20, quantumvis licet eum sex patroni defenderent. Hoc igitur iurare iudex iubetur (cf. v. XXXIV, LXX), et illud praeterea: non defuturum se officio, nisi causa aliqua sontica oboriatur, quae iustam ei praebeat excusationem.

Iam ut appareat hoc iudicum ius iurandum conceptum esse fere ad similitudinem sacramenti, quo milites a consulibus adigebantur his additis exceptionibus: ut adessent *,nisi harunce quae causa erit: funus familiare feriaeve denicales, quae non eius rei causa in eum diem conlatae sint, quo is eo die minus ibi esset, morbus sonticus, auspiciumve quod sine piaculo praeterire non liceat, sacrificiumve anniversarium, quod recte fieri non possit, nisi ipsus eo die ibi sit, vis hostesve, status condictusve dies cum hoste: si cui eorum harunce quae causa erit, tum se postridie quam per eas causas licebit, eo die venturum aditurumque eum, qui eum pagum vicum oppidumve delegerit'*. Ita enim Gellius 16, 4, 4 ex Cincii libro de re militari quinto hoc iusiurandum rettulit.

Ceterum sonticae causae, quae iudicem, eaedem reum antiquitus excusabant. Merito: nam et iudex, qui iudicio non adfuisset, litem suam faciebat, id est, eius unde petitur loco constituebatur, unde apud Macrobium (saturnaliorum libro 2 capite 12 in fine) C. Titius vir aetatis Lucilianae in oratione, qua legem Fanniam suasit, *,ad comitium'*, inquit *vadunt* (iudices) *,ne litem suam faciant'*. Denique scriptum erat in duodecim, secunda tabula, secunda lege: *,Quid horum* (intellegitur *,morbus sonticus'* Gell. 20, 1, 27, *,status dies cum hoste'* Cic. de off. 1, 12, 37) *fuit unum iudici arbitrove reove, eo die diffensus esto'*. Ita enim Capito Ateius apud Festum (v. Reus p. 273 M.) scriptum esse rettulit. Apud eundem Gallus Aelius *,reove'* vocem sic interpretatur *,Reus est, qui cum altero litem contestatam habet, sive is agit, sive cum eo actum est'*. Quibus constanter Vlpianus (L. 2 § 3 D si quis caut. 2, 11) omissa causa stati condicti cum hoste diei, quae pacata Italia in desuetudinem abierat, additisque eiusdem potestatis impedimentis *,Si quis'*, inquit, *,iudicio se sisti promiserit et valetudine vel tempestate vel vi fluminis prohibitus se sistere non possit exceptione adiuvatur — et ideo etiam lex duodecim tabularum si iudex vel alteruter ex litigatoribus morbo sontico impediatur, iubet diem iudicii esse diffisum.'* Et ita perspicitur, quid sit, quod sonticae causae eiusque, *,quei'* quum *,eam rem quaeret, ex hace lege causam non noverit,'* non semel, sed quinquies in lege mentio fit. Nam praeterquam quod in iureiurando iudicum versu XXXVIII sonticae causae excipiuntur, versu XXXIX, XLII, XLIII, XLV de eadem re agi manifestum est, neque id scalptoris peccato sed data opera eius qui legem scripsit factum esse statuendum erit.

Ioudicum nomina in contione recitentur proscribanturque.

XXXVIII. *Quei ex C vireis apud | se ioudices L lectei erunt, eorum nomina pr(aetor)*
a. 34. (76) *in contione facito re*]citentur, proscripta propositaque palam apud for[*um, ubei de plano recte legi possitur, habeto neque rem agito ante quam omnes iurarint*
b. 38. *quei ex e*]is C ioudicis L lectei erunt. §.

Hunc titulum separandum putavi ad similitudinem eorum, quae versibus XIV, XXVIII, LXV praecepta sunt.

Ioudex nei quis disputet. §.

(229) [*Quei in eam rem ioudices L erunt, eorum nei quis de testium patronorumve verbis disputato neve testem patronumve interpellato. Quei contra fecerit, quotiens quomque fecerit eiei HS . . n. multa esto.* §.

Eius modi admonitionem et festinatio iudicum et intolerantia suasisse videtur. Exemplum affert Cicero (de fin. 2, 19, 62) his verbis: ,ut A. Varius, qui est habitus iudex durior, dicere consessori solebat, quum, datis testibus, alii tamen citarentur: *Aut hoc testium satis sit, aut nescio, quid satis sit;* sic a me satis datum est testium.' Quum tamen poena statuta nulla esset, mirari non oportet si de ea re quaesitum esse legimus. Etenim inter praecepta Q. Aelii Tuberonis super officio iudicis illud etiam ambigi ac dubitari Gellius (Noct. Att. 14, 2 § 16-20) refert: ,*debeatne iudex inter cognoscendum ea, quae dicto quaesitoque opus est, dicere et quaerere, etiamsi, cuius ea dici quaerique interest, neque dicat, neque postulet?' — causamque de qua cognoscat, interlocutionibus suis ita exprimere consignareque, ut ante sententiae tempus — signa et indicia faciat motus atque sensus sui?'* Plerosque etiam nudum illud praeceptum migrasse demonstrant querelae de causis corruptae eloquentiae in hanc formam: ,*ipsam,* inquit auctor (c. 39), *quin imo curam et diligentis stili anxietatem contrariam experimur, quia saepe interrogat iudex: causam quando incipias? et ex interrogatione eius incipiendum sit, frequenter probationibus et testibus silentium patronus indicit':* ubi patroni nomine itidem intellegendus iudex est: ,*patrocinari enim*', ut verbis Gellii (14, 2. 16) dicamus, ,*prorsus hoc esse aiunt, non iudicare.*' —

Qui praeter hos quos laudavimus a Mommsenio loci afferuntur p. 67, eos ego in aliam sententiam acceperim. Nam Tacitus ann. 1, 74 de ,*rupta*' ille quidem, verum non iudicis, sed Tiberii ,*taciturnitate*' agit. Quodque apud Plinium (ep. 2, 11) ,Tuccius Cerealis consularis *iure senatorio* postu-

lavit, ut Priscus certior fieret' (qui accusantibus Afris, quibus proconsul praefuerat, omissa defensione, iudices petierat), id non probat, iudici sententiam dicere non licuisse, sed potuisse *patroni* etiam *iure* postulari, ut absenti denuntiaretur. Denique Asconii (in Milon. p. 41) locus, quem adhuc male interpretatos contendit Mommsenius, vereor ut recte accipiatur, si invitatos dicamus iudices lege Pompeia, ut in causa Clodiana testimonium ipsi, si possent, proferrent. Neque enim apta erat eiusmodi interpretatio verbis: ,ut prius quam causa ageretur testes per triduum audirentur, dicta eorum iudices *confirmarent'*, neque minus inconveniens est, cautum lege fuisse ut dicta testium iudices (litteris videlicet) *consignarent.*

Multa addenda fuit ne nudum praeceptum dari lege videretur. Quae quamquam dubitari poterat, lege finita an commissa praetori fuerit, melius tamen videbatur, legitimam statuisse.

De re proferenda.

XXXIX. a. 35. *Sei is unde petetur causam sibi esse deicet, quo minus suo die ad*] iudicium
(85) adesse possit, de ea re praetori, quei ex hac[*e lege quaeret, cognoscere iudiciumve dare et sei causam noverit, rem proferre liceto.*

Causa proprie dicitur morbus sonticus, adversaque valetudo quae cuipiam, quominus munere aliquo fungatur, excusationi impedimentoque legitimo sit, unde causarii milites dicuntur, qui ob valetudinem a militia excusantur, et causaria missio, quum quis miles vitio animi vel corporis minus idoneus militiae renuntiatur, ut definit Macer L. 13 § 3 D de re milit. (49, 16), item apud medicos corpus partesve corporis quae morbo laborant, ,*in causa' esse* dicuntur. (Veget. mulom. 1, 25, 1; 2, 6, 11; 2, 20, 2; 3, 45, 5.) Denique ex aequo et bono ius constat: *ut maior annis LX et cui morbus causa est, cognitorem det.* (Rhet. ad Herenn. 2, 13, 20).

Sed his aliae causae aequiparantur ex aequitate. Nam et *familiaris funeris excusatione ad iudicii prolationem biduum quaesitum fuisse* in C. Rabirii causa (c. 3, 8) Cicero refert, ut taceam prolationes quae fabulam facienti et iocanti sufficere visae sunt: ,*facilest* (sunt Plauti mil. glor. 2, 2, 95 = 250 Fleckeis.) *trecentae possunt causae conligi: Non domist: abiit ambulatum: dormit: ornatur: lauat: Prandet: potat: occupatast: operae non est: non potest. Quantum vis prolationumst'*. Id. Truc. 2, 5, 12

‚quod mulier facere incepit ‚nisi id efficere perpetrat, id illi morbo, id illi senio est.'

Eas vero causas hoc capite ad reum, non ad iudicem referri ex verbo *‚adesse'* intellegitur, quod *adesse* proprie reos dicimus, ut apud Asconium in Cornel. p. 59 legitur his verbis *‚quum P. Cassius praetor decimo die, ut mos est adesse iussisset, eoque die ipse non affuisset — circumventi sunt — eius accusatores'*, nec non apud Vlpianum: L. 55 pr. D de evict. (21, 2) et L. 21 § 11 D de recept arb. (4, 8). Nam iudices si forte impediti fuerint magis dicuntur operam dare non posse: L. 18 pr. D de iud. (5, 1) L. 13 pr. D de vacat. et exc. mun. (50, 5). Denique actore prohibito, ne iudicium interfrigesceret, subscriptores succedebant.

Praeter notionem ipsius praetoris iudicis etiam recuperatorumve datio praetori permitti videtur, idque versu XLII et XLIII effici existimo: ubi probe distinguendum est inter iudicem *‚quei eam rem quaeret'*, hoc est ad excusationem examinandam a praetore datum, eumque iudicem, *‚quei ex hace lege quaeret'*, hoc est ipsum praetorem repetundis. Sane eiusmodi iudicis dationem dixerit aliquis iure singulari receptam esse, quoniam de ceteris muneribus et excusationibus ipse praetor cognoscere solet, (L. 4 § 1. 3 D de susp. tut. [26, 10] L. 5 pr. D de extr. cogn. 50, 13), nec minus publici iudicii executio soli praetori eisque iudicibus, qui ei lege obvenerint, data esse videtur, usque adeo ut neque mandari cuiquam possit, neque iudici dato committi, (L. 9 D de off. praes. [1, 18] L. 1 pr. D de off. eius cui mand. 1, 21). Verum contra dici poterit universam excusationum causam ad in ius vocationem, ad vadimonia, ad exceptiones legitimas pertinere, deque his rebus semper iudicasse recuperatores. (Cic. in Q. Caecil. divin. 17, 56. Gai. 4, 185). Itaque magis puto, optionem praetori lege delatam fuisse, de excusationibus ipse cognoscere an ad iudicem recuperatoresve iri velit.

Neque praetermittendum est de futuro iudicii die hoc loco agi, deque eo excusando, qui abfuturus sit, non qui abfuerit. Scriptum est enim *adesse possit*, non *potuerit*. Itaque huic capiti rubricam praefeci: *de re proferenda*, non, ut Mommsenius, *de* (iudice reove) *excusando*. Sequenti vero capiti cui Mommsenius inscripsit: *de iudicio proferendo vel refere*]ndo solummodo praescribendum putavi: *de nomine referen*]do. Quum enim initio eius scriptum sit ‚*sei* eam rem proferet', praecessisse necesse est, *ut* proferre liceat.

b. 39. *De nomine refere*]ndo. §.

Quam rem pr(aetor) ex h(aee) l(ege) egerit,(¹) sei eam rem proferet, quo-
(228) [*ius de ea re h(ace) l(ege) petitio nominisque delatio erit, sei is eo die, quem in*
diem pr(oetor), quei eam rem ex h(ace) l(ege) egerit, eam rem semel protolerit,
nomen, quod detolerit, referre non poterit, tum praetor, quam rem semel proto-
XL. *lerit, eom amplius pr*|*oferto. Quodsei quei id nomen detolerit is eo die nomen*
a. 36. (91) *refe(r)*]re poleril, facilo, quoius deicet nomen referre, [*sei is per morbum aevi-*
tatemve eo die, quem in diem praetor eam rem protolerit, ad sese venire aut
b. 40. *adferri pote*]ril, utei ad sese veoial aut adferatur eoram eo quei postulave-
(227) r[*it, utei, quem in diem proetor eam rem protolerit, eo die res agatur: dum prius*
domum denontiari iubeat utei is, quoium nomen relatum erit, ad sese veniat aut
XLI. *adferatur. Sei denuntiatum erit, neque venerit adlatusve erit, per suos* | *viatores*
a. 37. *facito ad sese veniat aut adferatur. Tum sei is vo*]lel, quoius ex h(ace) l(ege)
(102) [*n*]ominis delatio erit, ei eius rei pe[*titio nominisque delatio, praetoris quoestio,*
b. 41. *quei quomque ioudicium ex hace lege erunt eorum eius rei ioudicatio de*]que ea re
(226) hace lege iudicium litisque aestumatio e[*s*]to quasei sei eius [*unde petetur suo*
die causa dicta esset eisve suo die pro se causam dixisset.

Rem proferre dicitur praetor quum ,Amplius' pronuntiat: Cic. Brut. 22, 86 ,*Quum consules re audita Amplius de consilii sententia pronuntiassent paucis interpositis diebus iterum Laelium — dixisse iterumque eodem modo a consulibus rem esse prolatam.*' Aliter atque ad populum dicta die, quam aceusatori prodicere licuit: Liv. 38, 52 ,*Tribuni plebis adpellati ab L. Scipione ita decreverunt: Si mortis causa excusaretur, sibi placere, accipi eam causam diemque a collegis prodici.*' Nimirum et in privatis negotiis proferendi diei partium arbitrio eommissam potestatem esse nemo neseit: Cic. Att. 13, 12. 14. Terent. And. 2, 1. 28. 29. Senec. Herc. fur. 137. Stat. Theb. 3, 665.

Referre nomen contra est aetus aceusatoris, nomen aliquod, delatum semel quod sit, iterato deferentis: Cic. p. dom. 29, 78 ,*etiamsi decemviri sacramentum in libertatem iniustum iudicassent, tamen, quotiescunque vellet quis, in hoc genere solo rem iudicatam referre posse voluerunt.*'

Neque eonfundi haee debent sive cum rebus prolatis et redeuntibus sive cum diebus proferendis referendisve. Nam prolatae res esse dieuntur quum rus homines eunt et messis tempore omnes lites interquiescunt, redire

(¹) Cf. versus LXXX verbis ,*sei*] apud eum ea res acta esset'. Quae verba ad ipsam eausam repetundarum referuntur, ooo ad quaestionem aliquam, quae inciderit.

contra, quum hibernis mensibus rerum actus denuo incipit. (Plaut. Captiv. 1, 1. 10. 16. 17. Cic. ad Att. 1, 1. 7, 12. 14, 5. ad Q. fr. 3, 8. med., post red. in sen. 11, 27. pro Sext. 62, p. Muren. 13. Suet. Oct. 32. Claud. 23. Plin. Ep. 4, 29. 8, 21. 9, 25. Gell. 9, 15. 1. Sen. de brev. vit. 7. Stat. silv. 4, 4, 39. Lucan. Paneg. Pison. v. 73. Vide Pithoei Advers. 2. c. ult. Casaub. ad Theophr. p. 179.) Diem vero referri, hoc est anteferri prodictam, ne arbitro quidem, quamquam accepta proferendi potestate, permissum (L. 33 D de rec. qui arb. 4, 8) atque adeo in publicis causis etiam religiosum fuit. (Festus. v. Referri p. 289.)

Vt autem semel dicta causa ampliare rem licuit, neque in Calpurnia Aciliave lege iam fuit molestissimum illud, bis ut causa diceretur, quod est in Servilia, ita multo magis, nondum dicta causa, proferendae rei aliquo modo ius statutum fuisse consentaneum est. Quis enim animum inducat durius scriptam legem fuisse lege duodecim tabularum, quae velit ei, qui morbi aetatisve incommodo in ius venire non possit, iumentum dari (Gell. 20, 1, 25-30) atque si sontica causa acciderit, iudici arbitrove reove, etiam diem iudicii iubeat esse diffissum (Cic. de off. 1, 12. L. 2 § 3 D si quis caut. 2, 11)? Quin imo durius etiam, quam decretum illud Ti. Gracchi tribuni plebis: ‚*Quum L. Scipio excuset morbum esse causae fratri, satis id sibi videri,*' quod decretum est apud Livium (38, 52) relatum in peculatus quaestione quae fuit a. u. c. 567 lege Petillia.

Ex diverso prospiciendum fuit ne per rei mendacium aut contumaciam lex iudiciumque ludificetur. Nam et lege Varia (a. u. 662) extrahi de villa anno aetatis LXXII° per viatorem reus potuit, quum iam ex morbo male solveretur, (Ascon. in Scaur. p. 22, 4) et lege Tullia (a. u. 690) morbi excusationi addita etiam poena fuit, (Cic. p. Mur. 23, 47) dum tamen praetor, sicut etiam edicto praecipitur, verecunde iubeat prius domum denuntiari, quam eum qui absit de domo sua extrahi. ‚*Dum ei, qui aberit, prius domum denunciari iubeam*' sunt verba praetoris L. 4 § 5-10 D de D. L (39, 2).

De absente condemnando.

Sei is unde petetur quoiusque nomen ex h(ace) l(ege) delatum erit, causam
XLII. *non deicet, quo minus suo die ad iudicium adesse possit,* | *neque aderit, tum sei*
iudicio deserto causam deicet et is q]uei eam rem quaeret ex h(ace) l(ege), cau-
(113) sam non nover[*rit, praetor, quei ex h(ace) l(ege) quaeret die . . postquam is,*
quei eam rem ex h(ace) l(ege) quaeret, causam improbaverit, utei quod recte

b. 42. *factum esse volet* (¹) *e*]oram [*iudici*]bus in contione pro rostris sententia(m) ita
(224) prononliato: ‚fec[*isse videri*': *deque ea re eiei unde petetur quoiusque nomen ex*
hace lege delatum erit siremps omnium rerum ius lex causaque hace lege esto
XLIII. *quasei sei is ad ioudicium suo die adfuisset eoque ioudicio de consilii mai*|*oris*
a. 39. *partis iudicum sententia condemnatus esset. Sei de ea re*] iudicium fieri opor-
(112) tebit, ter[*tio die facito iudicium fiat.*

Supra cautum lege fuerat, quid statuere praetorem oporteat, si is unde petitur ante diem iudicii morbum excuset causaque agnita sit a praetore. Iam definiuntur partes praetoris, qui causam non noverit.

Quo in genere nullus prolationi iudiciove locus relinquitur, sed ipse praetor coram iudicibus pro rostris in concione sententiam pronuntiat: *fecisse videri.*

Posse enim absentem damnari, quum ipse citatus non responderit, accusator tamen praesto fuerit et Cicero refert (in Verr. Act. 2. Lib. 1. cap. 9 § 25, Act. 2. Lib. 2. cap. 40 § 98) et Asconius auctor est in Milonianae interpretatione p. 55, ubi ‚*Multi,* inquit, *et praesentes et quum citati non respondissent damnati sunt.*' Itaque intellegitur id ordinarii tum iuris fuisse.

Vsitatissimam sententiae formulam *fecisse videri* similemve exhibent Cic. in Verr. Act. 2. lib. 5. c. 6 § 14, in Pison. c. 40 § 97. Festus v. Parum p. 238 M. Asconius p. 54. 55. Appianus de bell. civ. 3, 95. Dio Cassius 46, 48. 49. Plutarch. Brut. 27. Zonaras 10, 16.

Coram iudicibus, pro rostris, in concione sententia pronuntianda est, ut palam fiat omnia parata fuisse et per solam contumaciam absentis factum esse, quo minus causa recte diceretur. Quod vero lex consueto iure (L. 75 D de iudic. 5, 1) a praetore in eremodiciis sententiam ferri iubet, id correctum fuit postea lege Iulia, quae vel in contumaces ipsis iudicibus tabellas dedit, nec nisi omnium sententiis absentes condemnari voluit. Eius rei testimonium dicit Dio Cassius (54, 3) his verbis: *ἐνομοθέτησε μήτε κρύφα τὰς ψήφους ἐν ταῖς ἐρήμοις δίκαις φέρεσθαι, καὶ πάσαις αὐταῖς τὸν εὐθυνόμενον ἁλίσκεσθαι.*

Quod ait lex ‚*causam non noverit*' id est: *non agnoverit, probaverit, admiserit, iustam esse negaverit.* (Plaut. Truc. 2, 1. 18 [ad quem locum cf. Gell. N. A. 16, 4, 5] Cic. de leg. 1, 4. 11. ad Att. 11, 7, ad fam. 4, 4, 1.

(¹) Cf. v. XXXVII.

L. 19 § 1 D de prob. 22, 3.) Vt enim ,*causam dicit*' reus tam defendendo (Cic. p. Rosc. Am. 5, 12. p. Quint. 8, 31. p. Sext. 8, 18. Lex Cornelia apud Gaium L. 25 § 1 D de SC. Sil. 29, 5. Liv. 29, 19) quam excusando (Terent. Hec. 1, 2. 111, Phorm. 2, 1, 42, Lucret. 6, 55. Cic. p. Quint. 18, 57), ita *noscere causam* praetor dicitur non solum ubi de re ipsa cognoscit, sed etiam si excusationem admittit. Causae enim verbum duplici significatione accipitur: altera, quum ad rem refertur, quae in iudicium deducta est, altera cum sontica causa intellegitur, quare ad iudicium quis adesse non possit.

De verbis ,*ex hace lege*' dubitari potest quo referenda sint: ad ea quae praecedunt, ut coniungantur ,*quei eam rem quaeret ex hac lege,*' an ad ea, quae sequuntur, ut procedat ,*ex hac lege causam non noverit*'. Illud sententiae legis, hoc structurae verborum aptius esse videtur. Itaque factum est ut utraque sententia patronum invenerit. Priorem enim Zumptius (p. 22) recepit: ,iudex', inquit, ,qui eam rem ex hac lege quaeret videtur is dici, ,qui hodie princeps est iuratorum'. Alteram Mommsenius interpunctionibus tuitus est. Equidem ad Zumptii sententiam propensiorem me esse fateor, neque enim de causa agnoscenda quidquam praeterea lege cautum invenio.

Quantum vero temporis excusationes absumant inde perspicitur quod Cicero (in Verr. Act. 1. cap. 10 § 31) sic queritur: *Ita prope XL diebus interpositis — responsuros esse arbitrantur, deinde se ducturos et dicendo et excusando facile ad ludos Victoriae*'.

Easque excusationes etiam absentium per procuratorem allegari et si iusta causa visa fuerit sententiam differri posse notissimi iuris est, quamvis alioquin neque adquiratur per procuratorem nec ad crimen iudicii publici persequendum procurator recte interveniat (Liv. 38, 52. L. 71 D de proc. [3, 3] L. 13 § 1 D de publ. iud. 48, 1) L. 3 C de accusat. 9, 2).

Quod in fine capitis commemoratur iudicium de ea re factum cave ne ad ipsum eremodicium revoces (id enim ad solum praetorem spectat), sed recuperatorium illud ac repentinum intellegas, quod in vadimoniis fieri solet, ut protinus de re iudicetur (Gai. 4, 185). Igitur triduum illud ex eo die computatur, quo valetudinis exceptio proposita fuerit. (Gell. 16, 4. 4. L. 2 § 3 D si quis caut. 2, 11.)

De nomine eximendo.

Sei is quei petet suo die ad iudicium non venerit eiusque rei causam deicet,
b. 43. *tum sei is, quei eum re*]m quaeret, ex h(ace) l(ege) causam non noverit, pr(aetor),
(221) quei ex h(ace) l(ege) q[*uaeret, eum, quoium nomen delatum erit, ex reis eximito. Sei de ea re ioudicium fieri oportebit, tertio die facito ioudicium fiat.*

Quae de causa non agnita hoc loco leguntur, quum sint eisdem verbis supra versu XLII et infra versu XLV de reo et iudice proposita, ea, nisi opificis vitio repetita esse statuere velis, ad excusationes eius qui nomen detulerit, referri necesse erit. Quod mihi quidem probatur verbis Ciceronis in Verrem Actionis secundae libri secundi capitis quadragesimi (§ 98. 99) hisce: *„citatus accusator — nescio quo casu non respondit, non affuit. Si praesens reus esset factus — tamen cum accusator non adesset — condemnari non oporteret* e. q. s.

Sequitur, ut nomen ex reis eximatur. Exemplum Asconius affert (p. 59): *Postero die,* inquit, *cum P. Cassius assedisset et citati accusatores non adessent, exemptum nomen est de reis Cornelii.* Plus dubitationis residere mihi fateor, calumniaene an recuperatorii iudicii mentio in lege secuta fuerit. Catonem enim, M. Scauro absoluto, postero die in consilium de calumnia accusatorum misisse apud Asconium (p. 30) memoriae proditum invenio. Magis tamen adducor ut credam de recuperatorio iudicio clausulam, quam in fine praecedentis capitis positam invenimus, hoc etiam capite repetitam fuisse.

Iudices utei iourent in consilium ante quam ibunt.

XLIV. *Praetor, quei ex hace lege quae*|*ret, ioudices, quei ex hace lege in eam rem*
a. 40. (128) *erunt, in consilium an*]te quam ibunt, facito iurent: sese [*vere et ex hace lege de eo, unde ex hace lege pequnia petita quoiusque nomen ex hace lege delatum erit,*
b. 44. *sententiam laturum, neque facturum scientem dolo malo q*]uoquis suae, alterius
(221) sententiae certior siet, quod p[*er h(ance) l(egem) non licebit, innocentem damnaturum neminem, nocentem reum, quem testibus, taboleis leitereisve popliceis privateis contra h(ance) l(egem) pequniam cepisse planum factum siet, non absolu-*
XLV. *turum scientem dolo ma*|*lo, quasque lites ex h(ace) l(ege) aestumari oportebit,*
a. 41. *eas ex fide aestum*]aturum esse. §.

Prius iusiurandum ad cognoscendam causam, alterum hoc ad sententiam ferendam spectare plus quam manifestum est.

Quod enim T. Attius in Cluentii causa iactabat: *iudicem, quod ei videatur, statuere, et non devinctum legibus esse oportere,* id non modo M. Cicero, adversarii patronus, (pro Cluent. 58) verum etiam Iustinianus lege Rem non novam (14) C. de iud. (3, 1) refutat, ubi ,*antiquos iudices non aliter iudicialem calculum accepisse* refert, *nisi prius sacramentum praestitissent: omnimodo sese cum veritate et legum observatione iudicium esse disposituros*'. Vnde ego sumpsi quod in lege collegii fontanorum reficienda versu XVIII et XIX memini me tentare: ,[*Recuperatores*] recuperatorem unum communem adeunto simulque iuranto [*sese vere et ex hac lege iudicaturum*], ni ita iurassit, multa esto a(ssium) D'. Praeterea iurisiurandi in legem et iuratorum generatim mentionem facit Cicero in Verr. Act. 1. c. 10 § 32. c. 13 § 40. de fin. 2, 17 § 5 et 2, 45. pro Cluent. c. 33 § 91. c. 43 § 121. de off. 2, 14 § 51. 3, 10 § 43. de invent. 1, 30, 48.

Hoc amplius speciatim iurare iubentur iudices: per se non fieri, quo sua alteriusve iudicis sententia innotescat, ne forte metu vindictae iustas ferre sententias equester ordo cunctetur. Vt enim ceris illis discoloribus acceptis senatorium ordinem in condemnando Terentio Varrone (a. u. c. 679) cunctatum esse Cicero (in Verr. Act. 1. cap. 13 § 40. 2, 32, 5, 68. p. Cluent. cap. 27 § 75. 47, 130), Pseudo Asconius (p. 108, 109), Acron (ad Horat. serm. 2, 1. 49) scriptum reliquerunt, ita vel ceris legitimis datis metus accedere ad gratiam ex notitia poterat. ,*Et ait idem,* (Hortensius) — sunt verba Tullianae in Q. Caecilium divinationis (7, 24) — *ut aliquis metus adiunctus sit ad gratiam, certos esse in consilio quibus ostendi tabellas velit. id esse perfacile. non enim singulos ferre sententias, sed universos constituere: ceratam unicuique tabellam dari cera legitima, non illa infami ac nefaria*'. Quod adiectum fuisse vestigia indicare videntur: ,*quod per hanc legem non liceat*', equidem ad versum LII rettulerim, ubi praecipitur, ut sortem apertam, brachioque aperto, palam, sed tamen littera digitis operta, in sitellam coniicere liceat.

Cetera iurisiurandi fere ad ea praecepta reficere conatus sum, quae de officio iudicis sive ratio suasit sive veterum dedit auctoritas. Quorum ego numerum rationemque de integro nolo inire quum et trita sint et exilia. Itaque indicasse sufficiat quae de testium et tabularum fide M. Cato et Favorinus apud Gellium (14, 2 § 14. 21. 26) referunt, quod de nocente non absolvendo Iuvenalis (13, 3) dicit, quod de iudice litem suam faciente tam

Gaius (L. 6 D de extr. cogn. 50, 13) quam Vlpianus (L. 15 § 1 D de iud. 5, 1) tradit et Publii Syri proverbium confirmat: ‚*Iudex damnatur cum nocens absolvitur*'.

c. 1. (128) **Iudice[s] multam suprema[m] de[b]ea|[nt].**

Quei in eam rem ex hace lege iudices erunt quei eorum iudex ita non iuraverit, is populo multam supremam debeto. Sei excusatione utetur et is quei
b. 45. (221) *eam rem qu*]aeret causam non noverit, quei eorum ioudex [*excusatione utetur is apud eum, quei eam rem quaeret, in diebus .. iurato: ‚sonticam causam impedimento fuisse*'.

Causam multandi agnoscit Cicero (p. Cluent. 33, 91, cuius verbis addendum est ex eadem oratione caput 35, 96. 37, 103 seqq. p. Caec. 10, in Verr. 1, 13). ‚*Multam* inquit *petivit. Qua lege? quod in legem non iurasset*'. Itaque non satis valida ratione Car. Tim. Zumptius (de leg. et iud. rep. p. 51. 52) hanc multam negavit lege aliqua repetundarum peti posse.

Maximam ex hac causa multam et ipsam in lege collegii fontanorum statutam fuisse videmus, in qua tamen lege, ut privata, non publicum illud trium millium et viginti assium (Festus v. Maximam p. 144. Ovibus p. 202. Peculatus p. 203. 237. Gell. 11, 1. § 3. 4.), sed, ut in legis actionibus, quingentorum assium constat maximum multae sacramentum esse. Ibi enim de recuperatorum iureiurando sic cavetur: ‚*ni ita iurassit, multa esto A*(ssium) *D* (quingenorum)'. Idque exemplum eo gravius est, quo magis ad instar recuperatorii iudicii repetundarum causam formatam esse constat.

Multam tum demum deberi ‚*quando citatus neque respondit, neque excusatus est* relatis apud Gellium (11, 1. 4) legitimis verbis et Varro docet et Vlpianus L. 13. § 2 D de vacat. (50, 5) confirmat. Accedit quod excusationem iustam esse oportet: nam apud Ciceronem (de orat. 2, 68, 275) Catulus, quem ille loquentem inducit, ‚*in delectu Metello,* inquit, *cum excusationem oculorum a me non acciperet et dixisset: Tu igitur nihil vides? Ego vero, inquam, a porta Esquilina video villam tuam*'. Itaque si is iudex, qui de excusatione cognoscit, causam sufficere negaverit, iurandum est sonticam hoc est satis gravem perpetuamque esse, ut impedimento sit. Cf. Festus v. Insons p. 111. Prohibere 234. Sonticum 290. Sontica 344. L. 65 D de aed. ed. (21, 1) L. 60 D de re iud. (42, 1). Etenim ‚*iudicandi necessitatem morbus sonticus remittit*' ut Paulus ait: L. 46. D de iud. (5, 1). Ea de causa ab Attico (12 ep. 13) Cicero petit hoc: ‚*cura ut*

excuser morbi causa in dies singulos. Laenas hoc receperat. Prende C. Septimium, L. Statilium. Denique nemo negabit se iuraturum, quem rogabis. Quod si erit durius, veniam et ipse perpetuum morbum iurabo'. Et de Aquillio idem (ad Att. 1, 1) sic loquitur: *,denegavit et iuravit morbum et illud suum regnum iudiciale opposuit'.* Item Philipp. 9, 4 *,re magis morbum quam oratione excusantem'* inducit. Exemplo iterum est Lex Collegii fontanorum versu XXIII, quam et Mommsenius et egomet ipse explicuimus in ephemeridibus, quibus inscribitur *Zeitschrift für geschichtliche Rechtswissenschaft* tomo XV. pag. 264. 352., ubi haec leguntur: ,Recuper[*ator qui luminibus captus erit iura*]to *sese* ita gnatum esse' (sive ut Mommsenio placet: *,caecum se iura*]to esse, ita gnatum esse). Ni ita iurassit A(ssium) V(quinum) multa esto. I(n) d(iebus) [.. *iurato, ni iurassit uti s(upra) s(criptum) e(st) multa*] esto A(ssium) V(quinum)'. In qua lege illud notabile est, quod qui de officio iudicis iurare nolit, maximam, qui morbum iurare recuset, nonnisi minimam multam sentire iubetur. Quam distinctionem quo minus in nostram legem inferamus, ipsa impedimento esse videtur huius capitis praescriptio, quum praesertim leges non desint, quibus ut ait Cicero (p. Murena 23, 47) *,morbi excusationi poena addita et voluntas sit offensa multorum quibus aut contra valetudinis commodum laborandum est aut incommodo morbi etiam ceteri vitae fructus relinquendi'.* Manserunt tamen aliae excusationes legitimae veluti exilii causa solum vertisse neque postea restitutum esse (Cic. Philipp. 5, 5, 14).

De temporibus excusationis iuvat adscribere quod Vlpianus habet libro secundo Opinionum (L. 1. pr. D de vacat. 50, 5): *,Omnis excusatio sua aequitate nititur: sed si praetendentibus aliquid sine iudice credatur, aut passim sine temporis praefinitione, prout cuique libuerit, permissum fuerit se excusare, non erunt, qui munera necessaria in rebus publicis obeant: quare et qui liberorum incolumium iure a muneribus civilibus sibi vindicant excusationem, appellationem interponere debent et qui tempora praefinita in ordine eiusmodi appellationum peragendo non servaverint, merito praescriptione repelluntur'.*

Nomina ad quaestorem deferantur.

Quei ita non iurabit, eius nomen pr(aetor), quei ex h(ace) l(ege) quaeret,
XLVI. *facito ad q|uaestorem, quoi aerarium provincia obvenerit, non accepta excu*]-

a. 42. e. 2. satiooe primo quo'que die deferatur isque quaestor [*ob eo quei ex h(ace) l(ege)*
(126) *multam supremam debebit primo quoque die eius pequniae praedes utei accipiat aut bona eius poplice possideontur facito.*

In tabula ahenea, quae Bantiae reperta est, incerta aetatis Gracchanae scripta lex exstat, qua lege de bonis eorum, qui essent ea lege damnati, Mommsenio auctore, v. 11-13 cavetur in hunc modum: ‚Sei condemnatus [*erit quanti condemnatus erit praedes*] ad q(uaestorem) (12) urb(anum) det aut bona eius poplice possideantur facito. Sei quis mag(istratus) multam (13) inrogare volet [*quei volet, dum minoris*] partus familiae taxsat, liceto eiq(ue) omnium rerum (13) siremps *lex esto, quasei sei is haace lege* [*pequniam quae s(upra) s(cripta) est, exegisset*' §]. Quibus verbis multam damnationi exaequari et ex hac causa possideri bona itidem posse, plus quam manifestum fit.

b. 46. *Iudices in co*]nsilium quomodo eant. §.

(221) Pr(aetor), quei ex h(ace) l(ege) iu[*dicium exercebit, postquam semel dicta causa testesque auditi fuerint, quei in eam rem ioudices L lectei sient, eos apud se convenire iubeto eieique unum iudicem communem legant facito. Quei de*
XLVII. a. 43 extr. *maioris par|tis eorum, quei aderunt, sententia lectus erit, sei is nondum pl*]ur[*imis*
e. 3. *lique*]||re deixerit, praetor [*quei*] ex h(ace) l(ege) quaeret, ita pronou[*tiato:*
(120) *Amplius deliberandum videri. Tum iterum causam deici queique in eam iudices*
b. 47. *L erunt in consilium ire iubeto. Vbei duae partes iudicu*]m, queiquomque ad-
(222) erunt, iudicare [*negaverint, quo minus praetor, quei ex h(ace) l(ege) quaeret, amplius de ea re quaeri, queique in eam rem ioudices L lectei sient in consilium ire iubeat eius h(ace) l(ege) nihilum rogato.*

Medium nescio quem de iudicibus legi iussisse lex videtur, qui interveniat inter praetorem et iudices, qui consilium cogat, quique de iudicum sententiis ad praetorem referat. Movet, quod singulari numero induci videtur ‚*qui nondum plurimis liquere deixerit*', quum alioquin singuli iudices negare ipsi soleant sibi liquere. (Cic. p. Caec. 10, 29. p. Cluent. 28, 76). Neque ita longe repetenda exempla erunt. Statim enim *recuperator* ille *unus communis* nobis occurrit, apud quem e lege collegii fontanorum v. 18 ceteris recuperatoribus simul iurandum est. Qua de re ad decemviros remisisse, qui hastam centumviralem cogunt, supervacaneum fere videri potest.

Constitui iudicem communem, nullum qui magistratum gerat, nisi de communi omnium maiorisve partis iudicum qui adfuturi sint sententia, omnino posse negaverim. Qui si non coierint, aut coacti non decreverint, iussu

praetoris, exemplo tutorum, euratorum arbitrorumve ex compromisso sumptorum (L. 3 pr. D de postul. [3, 2] L. 3 § 7 D de adm. et perie. tut. [26, 7] L. 17 § 6 D de recept. qui arb. 4, 8) rem expediri puto. Neque tamen obnitor valide, si quis sorte rem discernendam fuisse dixerit, nam et in pronuntiationibus faciendis versu LII idem fieri videbimus.

Lege Aeilia, ut supra quoque dictum est, ‚*vel iudicari primo poterat vel Amplius pronuntiari*' teste Cicerone in Verr. Aet. 1. cap. 9 § 26, ut his verbis praetor utatur: ‚*Amplius deliberandum censeo*', sie enim et Terentius (Phorm. 2, 4. 17) et Martianus Capella (de nupt. philol. 1, 4) formulam rettulerunt.

Fieri autem ampliationem ubi negaverint iudices sibi liquere, Donati testimonio eredere lieet ad Terentii Eun. 2, 3. 39 haee proferentis: ‚*Et est*' inquit, ‚*liquet verbum iuris, quo utebantur iudices cum amplius pronuntiabant, obscuritate commoti causae magis quam negotii simplicitate*'. Firmatur enim verbis Cieeronis (pro Caeeina e. 10 § 29) bisce: ‚*quid dicam, nisi id, quod negare non possit? venisse in consilium publicae quaestionis, cum eius consilii iudex non esset: et in eo consilio, cum causam non audisset, et potestas esset ampliandi, dixisse sibi liquere*': Item pro Cluentio e. 28 § 76 ‚*qui neque absolvere — possent, neque — primo condemnare vellent, non liquere dixerunt*'. Aeeedunt aecuratiores rei deseriptiones rhetoris ad Herennium (4, 36), Ciceronis (in Verr. Aet. 2. lib. 1. eapite 29, § 174. Ausonii (Ep. 11), quin etiam falsi Aseonii (in Verr. 2, 1. 9. 26. pag. 164 Orell.), dumne indocto nugatori in illis ineptiis fides habeatur quas de tabellis profert iudieibus datis, in quibus N L litterae scriptae fuerint: id enim neque in hane neque in Pompeiam legem (quove alio nomine diei oportet, in qua de pilis iudicum agitur) eonvenire infra videbimus.

Quod quum Calpurnia lege vel septies ampliandi potestas esset (Val. Max. 8, 1. 11), ne infinita prope deliberatio iudicibus permitteretur, modum rei statui oportuit.

Igitur prima ampliatio nulla mora datur quum plurimi iudiees negaverint iudieare. ‚*Plurimi*' autem verbum maiorem partem significat id est dimidiam et unum amplius. Plautus Mostell. 5, 1. 11 ‚facio idem quod plurimi alii.' Cieero de leg. 2, 19, 48: ‚qui de bonis — usu eeperit plurimum possidendo'. Marcianus L. 21 pr. D de excus. tut. (27, 1) ‚de omnibus bonis aut plurima parte eorum.'

Altera vice ampliatur res paulo difficilius. Neque enim satis habet lex plurimos maioremve partem nolle iudicare, sed debent duae partes eorum, qui adsint, consentire. Vt enim sententiis ferendis praecedere oportet duarum partium eorum quicunque de iudicibus quinquaginta adsint, consensum concentumque (v. XLIX), ita quo magis iterum ampliare rem liceat, eodem numero opus est iudicare negantium. Itaque Acilia lex aliis legibus eo distat, quod hae quidem exigunt ut omnes adsint, fere ut privatis iudiciis et arbitriis praesentia omnium necessaria est (L. 37 D de re iud. [42, 1] L. 17 § 7. L. 18 D de recept. arb. 4, 8), verum tamen satis habent maiorem partem consentire, quodque maiori parti placuerit id referunt ad universos. Quod facit lex Iulia relata apud Ciceronem ad fam. 8, 8 idemque placet Celso L. 39 D de re iudicata (42, 1) et Pomponio L. 18 D de recept. arb. (4, 8). Acilia vero, quamdiu duarum partium eorum, qui adsint, nondum plenus numerus sit, neque ampliare rem permittit neque iudicare, iam ut non satis caute videatur ea pars legis scripta fuisse.

Tertia ac deinceps ampliatio non tollitur illa quidem, verum tamen multa proposita constringitur his verbis:

Iudices HS n(ummum) ↀ populo debeant.

XLVIII. *Quei iudices ex* | *haec lege in consilium ire iussi erunt, quei eorum noluerit*
c. 4. (119) *iu*]dicare, is HS n(ummum) ↀ, quotiens quomque amplius bis in uno iu[*dicio iudicare negaverit, populo debeto.*

Vt arbitrum, qui pecunia compromissa arbitrium recepit, ita iudicem praetor cogere invitum potest, ut sententiam dicat (L. 3 § 3. L. 4. L. 11 § 1 D de recept. q. arb. [4, 8] L. 13 § 2 D de vacat. 50, 5). Itaque per me huic capiti etiam haec verba praescribere licebit: ‚*De iudicibus cogendeis.*' Cogit autem multa et solitis praeturae pignoribus (cf. Cic. ad Att. 2, 2 fin. p. Cluent. 37, 103. Lex Coll. font. 22 ‚I[*n*] d[*iebus*] — *perpe*]tuis rem iudicanto, ni ita iudicarint, ita — multa esto.' Lex Quinctia ap. Frontin. c. 129. Plin. Ep. 4, 29). Quae multa in poenam legitimam hic conversa est longe quam multa suprema, quae in excusationibus usu venit (v. XLV), maiorem, quoniam de ipso iudicis, cuius excusatio reiecta sit, officio quaeritur. Eaque poena sestertium decem millium nummorum (haec enim iusta notae ccIↃↃ explicatio est), ne tum quidem remitti videtur, si iudex iurare paratus sit sibi non liquere, quamvis privati iudices ea lege iudicatu solvan-

tur. (Gell. 14, 2, 25. L. 36 D de re iud. [42, 1] L. 13 § 4 D de recept. qui arb. 4, 8.) Nec mirari oportet, quid sit, quod ne duarum quidem partium stari sententiae statui, sibi liquere negantium. Nam post duas ampliationes frangi tandem oportuit obnitentium pervicaciam.

Quippe haec lex transitum facit ab infinita illa ampliandi licentia ad rigorem Serviliae, quae lex *habet* (ut Ciceronis in Verrem Actionis II. libri 1 capitis 9 §[i] 26[ae] verbis dicam) *in se molestissimum, bis ut causa dicatur,* ut tamen Acilia in eo mollior minusque perfecta esset, quod *Glaucia primus tulit,* ut *comperendinaretur reus* eoque modo amplius quam bis causam diei vetuit, Acilius vero permisit ille quidem ut amplius bis ageretur, verum iudicem per quem id factum esset multa coerceri iussit. Multa enim statuitur ‚quotiens quomque amplius bis in uno iu[*dicio negaverit iudicare*'. Quod ait ‚quotiens quomque' consulto consilio adiectum est. Quum enim ‚*lex ampliandi* (ut Ciceronis iterum verbis utar) *faciat potestatem*', poterat fieri, ut eadem multa saepius committeretur. ‚Amplius bis' id est ter quater aut deinceps, omissa scilicet, quod quidem in numeralibus plerumque fit, ‚*quam*' particula. Cic. Brut. 17. ‚Orationes (Catonis) amplius centum quinquaginta' p. Rosc. Com. 3 ‚amplius sunt sex menses' ib. ‚amplius triennium est'. Mommsenius edidit: quotiens quomque ‚amplius' bis in uno iu[*dicio pronontiatum erit, singulis multa esto.* Minus recte opinor: quamquam ampliationem, quae quo disertius exprimeretur Mommsenius versum quadragesimum octavum ita formaverat (cf. pag. 56. col. 1 in fine), et ipse in lege retineo. Vereor enim, in quam ille sententiam ‚amplius' verbum accipi iubet, ea sententia ne iustae verborum consecutioni parum conveniat. Nam, ut ampliatio procederet, scribendum certe erat ‚quotiens quomque bis in uno iudicio amplius pronontiatum erit.' Quid? quod ne tum quidem omnis dubitatio tollitur. Neque enim ‚quotiens quomque' sed ‚sei' scribere Acilium oportuit, neque praetori, qui pronuntiaverit, multam irrogare, sed iudici, qui, detrectando iudicationem, eo rem perduxerit, ut amplius pronuntiare praetorem necesse esset.

Vteunque vero ampliandi potestas Acilia lege superfuit, tamen in plerisque causis turpe sibi iudices existimasse, non primo iudicare, celeberrimo illo in Verrem actionis secundae loco, si tamen rectius quam vetus enarrator fecit et plerique hodie faciunt, verba interpretere, haud dubie efficitur. Prima actione tabulis ac testibus, omissa oratione perpetua, reum

accusator oppresserat. Qua re questus Hortensius erat adimi comperendinatum, qui tum fuit lege Cornelia, fuerat etiam Servilia. Ad quae respondet Cicero: ,*accusatoris causa, ut bis ageretur, constitutum est*' — ,*Glaucia primus tulit, ut comperendinaretur reus: antea vel iudicari primo poterat vel amplius pronuntiari. Vtram — putas legem* (tibi) *molliorem? opinor illam veterem, qua vel cito absolvi, vel tarde condemnari licebat. Ego tibi illam* (veterem) *Aciliam legem restituo* (omissa prima oratione perpetua), *qua lege multi semel accusati, semel dicta causa, semel auditis testibus* (et absoluti et) *condemnati sunt* —' ,*puta te non hac tam atroci* (Glauciae et Sullae, *quae habet in se molestissimum, bis ut causa dicatur*) *sed illa lege mitissima* (Acilia) *causam dicere. Accusabo: respondebis,* (semel) *testibus editis* (prima actione) *ita mittam in consilium, ut etiamsi lex* (haec Acilia vetus) *ampliandi faciat potestatem, tamen isti turpe sibi existiment, non primo iudicare*'.

Debitorum nomina ad quaestorem deferantur.

b. 48. *Pr(aetor), quei ex h(ace) l(ege) quaeret, utei quod recte factum esse volet, que*]m,
(215) quam ob rem et quantum pequ[*niae ex hace lege populo Romano dare oporteat, ad quaestorem, quoi aerarium vel urbana provincia obvenerit, primo quoque die facito deferatur eique quaestori ab eo, quei eom pequniam populo debebit, prae-*
XLIX. *de|s dentur aut bono eius poplice possideantur facito.*

Popularis enim actio, qualis lege Pompeia (apud Mommsenium n. 208) et Quinctia constituitur, in hanc speciem non caderet, quoniam rei publicae, non singulorum, interest, de pecuniis repetundis recte iudicari.

c. 5. *De*] **reis quo modo iudicetur. §.**

(111) Vbi duae partes iudicum, quei ader[*unt, de ea re, quam in rem iudices erunt, liquere sibei* (1) *eamque rem se iudicaturos esse deixserint, pr(aetor), quei*
b. 49. (212) *de ea re quaeret, utei eis iudice*]s, quei iudicare negarint, semovant[*ur, ceteri in reum ioudices* (2) *considant* (3) *facito. Quei semotus erit, quotiens quomque*

(1) ,De hac re mihi satis haud liquet' dixit Plautus Trin. 2, 1. 7. Zumptii (p. 23) supplementa ,*rem se nosse dixerint*' explendae lacunae non sufficiunt.

(2) Ceterorum iudicum mentionem praecessisse docemur verbis versus LII ,*in eos ceteros singulatim iudices*'.

(3) ,*Quo quidem die primum iudices citati in hunc reum consedistis*' sunt verba Ciceronis in Verr. Act. II. Lib. 1. cap. 7 § 19. Diversum est officium arbitri. Nam arbitrorum est *ad locum*, sive *in rem praesentem ire*, unde etiam nomen duxerunt.

amplius bis in uno iudicio negarit iudicare, HS *n(ummum)* ꟃ *populo debeto.*
L. *Pr(aetor) quem, quam ob rem et quantum pequniae dare oporteat, ad quae|storem primo quoque die facito deferatur.*

Quae verba huic capiti praescripta sunt ,*De reis quo modo iudicetur*' non debent ad universam iudicandi rationem referri. De rebus enim agendis cavetur paulo inferius, hoc caput ad personas pertinet, definitque non dico quem numerum sed tamen quotam partem iudicum, qui adsint, paratam esse oporteat, ut de reis iudicari possit.

Sententiam loci neque Klenzius expedivit nec ego adhuc assecutus fui, qui duas partes iudicum quinquaginta adesse debere, sententia ut recte feratur, in historia iuris (II. p. 412) statuerim. Id si verum esset, scribi debebat: ,Vbi duae partes iudicum aderunt', fere quemadmodum ,*lege municipali cavetur, ut ordo non aliter habeatur, quam duabus partibus adhibitis*' (Lex Iul. mun. v. 75 [149]. Edict. Venafr. v. 39 Orell. Henzen. n. 6428. Lex Flav. Salp. 29. Mal. 61. 62. 64. 67. 68. L. 2 D de decret. ab ord. [50, 9]. L. 160 § 1 D de R. I. 50, 17. L. 46 C de decur. [10, 31]. Symmach. Ep. 2, 36; 4, 37). Nunc est in lege ,Vbi duae partes iudicum, quei aderunt'. Ergo dicendum est satis legi fieri, si quam paucissimi adsint, dum eorum qui adsint maior pars de re sibi liquere seque ad iudicandum paratos esse dixerint.

Quod quum post duas ampliationes de re liquere debere supra lex statuerit, consentaneum videbatur, qua poena maioris partis iudicum frangendam contumaciam esse putaverat (v. XLVIII), eandem coercendae minoris partis iudicum iniuriae multo magis irrogatam fuisse. Itaque eam poenam hoc loco repetendam putavi, ut tamen et rubricas et verborum ambages omitterem, quibus neque recipiendis spatia suppetant, neque exacte repetendis latorem legis studuisse veri simile sit.

Semotis per viatores praetoris iudicibus, qui iudicare negaverint, omnibus, iam res praetori agenda est plena illa religione atque etiam superstitione: suffragiorum dico lationem et sortes.

e. 6. *Praetor*] rem agito.

(108) Tum praetor quom soveis viatoribus apparitoribus quenei de i[*oudicio ioudex decedat facito ioudicesque, quei in eum reum consederint, omnes numerari*
b. 50. *sitellamque latam digitos .. altam digitos ..*] XX, quo ioudices sorticolas con-

(207) (1) ieciant [*apponi, sorticolasque buxeas longas digitos IIII, latas digitos .. ab utra-*
que parti ceratas afferri easque aequari et in altera parti A, in altera parti C
LI. *scribi iubeto. Vbei tot numero scriptae fuerint, quot i*|*n eum reum iudices con-*
e. 7. *sederint, eorum quoius*]que iudicis is praetor sorticolam unam buxeam longam
(107) digitos IIII la[*tam digitos .... ab utraque parti ceratam aequatamque, in qua*
b. 51. *sorticola buxea ex altera parti A littera perscripta* (2) *siet, ex alte*]ra parti C,
(202) inmanu palam dato a[*b eoque iudice alteram, utram is volet, litteram induci iubeto*
inque eam rem, quei volet, stilus facito detur (3). *Iudex sortem accipito verso-*
LII. *que stilo* (4) *alteram, utrum volet, litteram quae in ea sorte scripta si*|*et, indu-*
e. 8. *cito* (5), *alteram integram servato*] eamque sortem ex hace lege apertam bracio-
(106) que aperto lit[*t*]eram digiteis opertam pala[*m ad eam sitellam deferto. Inde ad*
populum se convertito eamque sortem bracio sublato in forum versus palam po-
b. 52. (196) *pulo ostendito i*]temque in eos ceteros ain[*g*]ilatim iu[*dices versus ostendito itaque*
eam sortem in eam sitellam coniecito.

‚*Praetor*', inquit Acilius, ‚*rem agito*'. Agi dicitur et res quae in iudicium deducta est veluti versu XXXIX ‚Quam rem pr(aetor) ex h(ace) l(ege) egerit sei eam rem proferet' et res quae sententia deciditur et res divina, velut sortitio. Quae res ut rite fiat, urnam apponi lex iubet sortilegam, eamque aquariam certae altitudinis, ut possint coniectae in eam sorticulae obrui contegique aqua, etiam si omnes quinquaginta iudices suffragia laturi sint. Quamvis enim non contenderim equidem, revera ex hac lege debere aquam in urnam infundi, quum ‚*in sacris simulata pro veris accipi*' constet, ut Servius ait ad Aen. 2, 116, tamen non dubito, quin infundi aqua simuletur certe atque fingatur. Id enim efficit primum sitellae appellatio. Quae vox, quantumvis licet a sitis et sitiendi vocabulis prima producta syllaba discrepet, proprie tamen perinde ac situla et situlus vas aquarium significat.

(1) Mommsenius praeter rationem, quam ipse p. 54 computaveral, quamque et in antecedentibus et sequentibus perpetuo observat, hoc loco litteras in margine numerat decem amplius, id est 217, si tamen calculi error non merum typographi mendum subest.

(2) Gell. 10, 1. 7 ‚*Persuasit igitur Pompeio* (Tiro Tullius), *ut neque ‚tertium' neque ‚tertio' scriberetur, sed ad secundum usque t fierent literae, ut verbo non perscribto res quidem demonstraretur, sed dictio tamen ambigua verbi lateret*'.

(3) Plin. Ep. 4, 2. 5 ‚*Poposcit tabellas, stilum accepit.*' (lege tabellaria).

(4) Plautus Bacchid. 4, 9, 73 ‚*Cérae hau parsit, néque stilo*: Cicero Verr. 2, 2, 41 ‚*Vertit stilum in tabulis suis.* ib. 42, 104 ‚*quod mendum ista litura correxit?* de Or. 2, 23 ‚*ubertas orationis stilo depascenda est*'. Horat. Sat. 1, 10, 72 *Saepe stilum vertas, iterum, quae digna legi sint, Scripturus* —

(5) Quintil. 10, 3, 31 ‚*Illa quoque minora (sed nihil in studiis parvum est) non sunt transeunda, scribi optime ceris, in quibus facillima ratio delendi.*' L. 1 pr. in fine D. 28, 4.

Cato de R. R. 10. 11: ‚*situlum aquarium unum*'. Plautus Amph. 2, 2, 39 ‚*Si situlam cepero, illi puteo animam omnem intertraxero*'. Paulus L. 40 § 6 D de C. E. (18, 1) ‚*Rota, per quam aqua traheretur, nihilo minus aedificii est, quam situla*'. Deinde confirmat qui fuit hydriae usus in omni genere sortitionum. Sic Syracusis lex fuit de religione, quae in annos singulos Iovis sacerdotem capi sortito iuberet: in qua scriptum erat ‚*ut, quot essent renuntiati, tot in hydriam sortes coniicerentur: cuius nomen exisset, ut is haberet id sacerdotium.*' Ita certe Cicero in Verrem Actionis secundae libri secundi capite 51 § 127 eam legem de Graeco in Latinum vertit sermonem. Idem est in ea sortitione, quam Plautus inducit in illa comoedia quae Graece κληρούμενα vocabatur, iam ut Casinae nomen ad captum sortitione scortillum videatur referendum esse; nam κάσα seu κάσσα meretricem significat. ‚*Vide*' — inquit Chalinus (Cas. 2, 6, 28) — ‚*ne qua illic insit alia sortis sub aqua.*' Et in ea, cuius Cicero (de N. D. 1, 38, 106) Livius (25, 3) cuiusque Suetonius (Ner. 21) mentionem faciunt. Eiusque rei ratio in obscuro non est. Etenim aquae purae numen inesse credebant, ut fatidicum, ita idem veridicum. Vnde de Clitumni fonte verba facturus sic fere incipit Plinius (Ep. 8, 8) ‚*praesens numen atque etiam fatidicum indicant sortes*' exstantque signa ibidem dedicata ‚*post verias felices*' hoc est post acceptas sortes veridicas, de quibus adiri potest Italorum, qui nunc est, sermone scriptus liber ab auctore Ridolfino Venuti, cui libro inscribitur ‚*Osservazione sopra il fiume Clitunno*', editus Romae 1753. p. 38. (¹)

Ac sic tandem recte intellegetur, quare buxeas sortes adhiberi Acilius iubeat. Durissimum enim lignum esse oportet, ut sors mergi sub aqua et exire responsum possit firmatum velut auctoritate divina. Vnde in celeberrimo illo, qui est de sortitione facienda, loco sic Plautus (Casin. 2, 6, 31) Chalinum inducit loquentem ‚*Sed manedum, num ista aut populna sors aut abiegna est tua?*' Ad quae Olympio ‚*Quid tu id curas?* Et iterum Chalinus: ‚*Quia enim metuo, ne in aqua summa natet.*' Buxum contra Plinius (nat. hist. 16, 28 [16]) ‚*duritie ac pallore commendabilem*' eique ‚*in igne*

(¹) Errore manifesto ad sortes relatus a Festo v. Nassiterna p. 169 M. est Plauti locus ex Nervolaria in haec verba: ‚Écquis huc ecfert nássiternam cúm aqua sine suffrágio'? Qui locus exstat in Sticho 2, 2, 28 hoc modo divisus: *Pinacium.* Écquis huc ecfert nássiternam cúm aqua? *Gelasimus.* Sine suffrágio Pópuli tamen aedilitatem hic quidem gerit. *Pinacium.* Age tu ócius Térge humum, conspérge ante aedis. e. q. s.

quoque duritiam, quae ferro' esse ait, *,nec flamma nec carbone utili'*. Vasaque buxina (ita enim legendum, non byssina) Paulus (3 6, 67) cum crystallinis et argenteis et vitreis componit. Itaque mirum ni in aqua etiam aut subsidat lignum durissimum aut certe mergatur. Idque Plinius (16, 40, 76 n. 3) testatur his verbis *,Spississima ex omni materie, ideo et gravissima, iudicatur ebenus et buxus, graciles natura, neutra in aqua fluitat, nec suber, si dematur cortex, nec larix'*.

Quod quum et longitudinem sortium et latitudinem lex definiat accuratissime, non dubitavi ea quoque adiicere quae aequandis sortibus essent. Etenim *,iniquae sortes'*, quarum Vergilius (Aen. 6, 322) et Suetonius (vita Claud. 3) meminerunt, sive *,attenuatae'* aut *,extenuatae'* ,quales apud Livium 21, 62 et 22, 1 inter prodigia numerantur, aequo iustoque iudicio facile possunt esse impedimento. Vnde apud Plautum (Cas. 2, 6. 34) Stalino *,Coniicite'*, inquit, *,sortis nunc iam ambo hac — Vxor, aequa'*. Olympio: *,Noli uxori credere'*. Stalino: *,Habe animum bonum'*. Olympio: *,Credo hercle hodie, devotabit sortis si attigerit'*. Itaque caveas ne solum modo in oraculis *,quae'* ut Cicero (de Divinat. 1, 18, 34) ait, *,aequatis sortibus ducuntur'*, velut in sortibus Praenestinis vel Antiatium tabellis (Cic. de Divin. 2, 41. Suet. Tib. 63. Orelli inscr. 2485) eiusmodi aequationem superstitionis causa retentam credas. Eadem enim observatio fuit in comitiis et suffragiis populi, *,dum cistella* (sive sitella) *defertur, dum aequantur sortes, dum sortitio fit'*, quae sunt verba Ciceronis apud Asconium (in Cornelianam p. 70) relata. In iudiciis etiam lex Pompeia iubebat, ut coram accusatore ac reo pilae, in quibus nomina iudicum inscripta essent, aequarentur, dein rursus postera die sortitio iudicum fieret unius et octoginta, qui numerus quum sorte obtigisset, ipsi protinus sessum irent. Tum ad dicendum accusator duas horas, reus tres haberet, reusque eodem die illo iudicaretur: prius autem quam sententiae ferrentur quinos ex singulis ordinibus accusator, totidem reus reiiceret ita ut numerus iudicum relinqueretur, qui sententias ferrent, quinquaginta et unus. Auctor rei est idem Asconius (in Milonianam p. 40, 18). Exstatque fragmentum tabulae aheneae in museo Mediceo, repetitum a Klenzio (pag. IV. not. 3), sed accuratius ad aes a Ritschelio tab. III a, denique a Mommsenio, inscriptum n. 208, in quo pilarum istarum aequandarum mentio fit identidem his fere verbis:

1 *iudic*]is . omnis . iur[*are . iubeto*
2 *del*]esi . easque . pilas . o[*mnis . dolari . aequarique*
3 *dole*]ntur . aequenturq[*ue*
4 pr(aetor) . facito . ubei . pilae . [*omnis . dolatae . aequataeque erunt*
5 sorticolis . singolis . sin[*gillatim . eductis*
6 *quoius . iudicis . nomen . ibe*]i . scriptum . erit . eius . no[*men . pronontiato*
7 *quoius . nomen . ex . hace .*]l(ege) . pronontiatum . erit . eu[*m . protinus . sessum . ire . iubeto*
8 *tabol*]amque . quae . in . eo . tribun[*ali . proposita . erit*
9 *pr(aetor)*.]aliter . ea . nei . deleto . neiv[*e . delesi . iubeto*
10 *pr(aetor) . iud*]ices . omnis . item . sortiri . iu[*beto . quasei*
11 *sentent*]iam . tolerint . quom . omni[*s . iudices . adfuerint*
12 *pro*]mat . in . eam . tabolam . qu[*ae . in . eo . tribunali . proposita . erit*
13 *in . quibus . pileis . li*]terae . duae . aut . nulla . au[*t . quae . legi . non . possit . inventa . erit*
14 *eductae* .]e[*r*]unt . inquibus . pileis . li[*tera . una . erit*
15 *iu*]dicis . siet . h(ace) . l(ege) . eas . pilas . om[*nis*
16 hocse f(raude?) oportebit . tum .
oier

Hasce reliquias Klenzius, qui iudices quinquaginta unum in extrema versus decimi quarti ora vidisse sibi visus fuerat, ad ipsam legem Pompeiam revocaverat. Quam sententiam et ipse secutus fueram in historia iuris (I. § 81. p. 214). Mommsenius vero tum non LI, quae litterae sunt in lege, sed ⊥I scribendum fuisse putat, (tametsi more Graecorum antiquissimo quinquaginta numeri signum non versam T verum L litteram esse Priscianus I, 561 P. auctor est), neque scripturam ,*sorticolis singolis*' v. 5 ,*pronontiatum*' v. 7 ,*tolerint*' v. 11 ,*tabolam*' v. 12 ad scribendi rationem quae fuit a. u. 702 convenire existimat ideoque propius ad aetatem Gracchanam legem revocandam esse censet. Ac sane in lege Rubria a. u. 705 v. 6 scribitur ,*nuntiationem*'. Ex diverso tamen v. 13 est ,*literae*', non ,*literaive*' ut in antica eiusdem tabulae parte v. 6, multoque minus ,*leiterasve*' ut in Acilia v. 34, manetque mira rerum similitudo ac fere aequalitas. Sed utut est, certe ex utraque lege et hac et Pompeia pilis utendum fuit: sive plumbeis,

ut in re capitali, (nam et funditores plumbeas glandes missiles in hostem torquebant, quales hodie etiam Baetica exhibet plerasque Caesaris victoriis superstites [cf. Acta menstrua Acad. 1861 mensis Iau. p. 81], in quibus iam verba legimus POMP(eium) FERI, non ROMA . FERI, quae Orellius 4932 exhibuerat) sive buxeis et ceratis, ut in causa repetundarum, quod mihi magis arridet propter scribendi delendique facilitatem. Accedit quod utrobique duplex pilarum genus apparet, alterum earum, in quibus iudicum nomina scripta sint, alterum, quod una duntaxat littera, aut A aut C signatum esse oporteat (Ascon. p. 53, 16), iam ut nulla duaeve litterae vitium faciant (v. 13. 14) neque ex hac lege ullus N. L. litteris locus relinquatur. Denique ex utraque lege pilae aequandae, id est dolandae complanandaeque (Cic. de Divin. 2, 41, 86), quaeque in eis scripta antea fortasse exstent, delenda sunt (v. 2. 3. 9), quo magis ne tactu quidem internoscantur nomina iudicum.

Ceterum praeter has leges ad iudicum sortes pilasque etiam Propertii illud (4, 11. 19) ‚*Aut si quis posita iudex sedet Aeacus urna* | *In mea sortita vindicet ossa pila*' referendum esse, ne quid praetermisisse videamur, strictim annotandum erit.

De inscriptione sorticularum haec adhuc fuit et mea (cf. hist. iur. II. § 132. not. 33) et aliorum opinatio, iudicibus per legem licuisse unam ex tribus litteris cerae inscribere: A si absolvere vellent, C si condemnaturi essent, N si negarent sibi liquere et Amplius deliberandum censerent. Auctorem laudabamus Pseudo-Asconium p. 108 ‚*In divinatione*', inquit, ‚*et in aliis [causis] maioribus universi iudices in cistam tabulas simul coniiciebant suas easque insculptas literas habentes A absolutionis; C condemnationis; cum de alicuius capite agebatur, N et L, ampliationis, his enim litteris significabant non liquere*'. Et p. 164 ‚*Nam cum condemnandi nota esset C litera, absolvendi A, ampliandi signum N L dabant, quod significabat non liquere, unde ampliatio nascebatur*'. Enimvero et in hac quaestione dirimenda falsus Asconius fraudem fecit. Duas enim res lex docet aperte. Alteram: iudicis non esse aliquam litteram scribere, sed scriptae quae fuerint antea operarii manu, earum unam delere. Alteram: scriptas fuisse nonnisi duas litteras, in altera parte tabellae A, in altera C et earum alterutram delendam. Sequitur igitur tertia: ut illud *Non liquere* scriptum nusquam fuerit, (scilicet plus duo latera nulla tabella habet) neque in sen-

tentiis ferendis ex tabella recitetur sed in ipsis actionibus et ampliationibus voce iudicare negantis significetur.

Nam et si albis nigrisve calculis sententiae ferendae essent, quem morem antiquum religiosissimumque lege Pedia in quaestione habenda de iis, quorum opera C. Caesar occisus esset, servatum fuisse tradit Appianus, (de bell. civ. 3, 95. 4, 27 cf. Ovid. Met. 15, 41. L. 12 C de iud. [3, 1] L. 10 C. de app. 7, 62), tertiae alicui sententiae locum omnino datum non esse constat.

Pronontiationis faciundai causa sortiatur.

Tum praetor de eis iudicibus unum iudicem, quei sententias prononliet, sar-
LIII. c. 9. *tiri* (¹) *iubeto.* | *Quei ita prononliationis faci*]undai causa ad sitellam sorti (²)
(50) veniet, is io eam sitellam manum demittito [*e*]t eam devexam pupul[*o ostendito,*
d. 1. (50) *sortes singilatim educito praetorique, quei ex h(ace) l(ege) i*]udicium [*exercebit,*
b. 53 extr. *in manu palam transdito. Quamque quomque in cum r*]eum sententiam
(8) (195) [*ibei inven*]erit (³) is ei [*praetori renuntiato.*]

Aequatis scriptisque sortibus, unus ex iudicibus sortito constituitur, qui pronuntiationis faciendae causa ad sitellam adsit, fere quemadmodum lege Cornelia, quum sententias reus, quae tum erat potestas, palam ferri velle dixisset, sortitio fiebat, ut sciretur, quo cuique ordine iudicandum esset. ‚*Ecce tibi*' sunt verba Ciceronis de consilio Iuniano locuti (p. Cluent. 28) ‚*eiusmodi sortitio, ut in primis Bulbo et Staieno et Guttae esset iudicandum*'.

Praetor sententias prononliet.

Praetor ab eo ioudice sortes accipito quodque in quaque sarti scriptum erit
LIV. *palam recte prononliato: ubei in ea sorti A littera scripta erit: ‚Absolvo', ube*|*i C*
c. 10. *littera scripta erit: ‚con*]demno', ubei nihil scriptum erit: ‚seine sufragio'. Ex qua
(29) sorti prononliarit eam sortem proxsumo iud[*icei bracio aperto palamque in ma-*
d. 2 (1) *n*]u[*m*] transdito. §.

(¹) ‚Sortire' veteres active, ‚Sortiri' passive posuerunt: Plaut. Cas. 2, 6. 43. 61. Enn. et Varro ap. Non. 7, 22. 24. Cic. Verr. Act. 2. lib. 2. c. 17 § 42.

(²) ‚Sortis' pro ‚sors', ‚Sorti' pro ‚sorte' dicebant antiqui: Plaut. Cas. 2, 6, 28 ‚alia sortis' 2, 7. 5 ‚sorti sum victus'. Vergil. Georg. 4, 165 ‚sunt quibus ad portas cecidit custodia sorti', Servius: ‚Ex sorte, nam adverbium est, quod traxit a militia'.

(³) Mommsenius fecit ‚*ea sors hab*]uerit, verum Ritschelii tabula non *u* sed *n* litterae vestigia exhibet.

Quod v. LIII pronuntiationis faciendae causa sorte iudex ad sitellam venire dicitur, id non statim efficit ut hunc ipsum iudicem dicamus ex sortibus pronuntiasse. Quod quamquam memet ipsum memini tentare olim (in hist. iuris 2, § 132. not. 37), nunc tamen magis esse puto, ut in ea re praetorem intervenire dicamus. Namque movent me verba ,*is ei*', quorum quum prius videatur ad eum, qui ,*pronuntiationis faciundae causa ad sitellam sorti venerit*', hoc est iudicem sortito electum, respicere, alterum ad praetorem referatur necesse est. Adiuvant interpretationem quae de reddendis post pronuntiationem tabellis in fine capitis scripta exstant ,*Ex qua sorti pronontiarit eam sortem proxsumo iud[ici — in man]u transdito*'. Quae verba et ipsa ad praetorem pertinent, cuius de officio tota lex scripta est. Itaque et palam omnia fieri et alteri ab altero fidem servari fatendum erit.

(276) De n[*umerandis sententiis.*

Sei ita ex omnibus sortibus pronontiatum fuerit, tum pr(aetor) sententias numerari quotque Condemno quotve Absolvo sient renuntiari iubeto.

Quamquam numerare senatum consulis est, ut ex Festo (p. 170) intellegitur, tamen iudicum sententias ex urna ductis sortibus numerare non praetoris esse arbitror, qui ex sortibus pronuntiaverit sed proximi illius iudicis, cuius illas e praetoris manu tradi in manum, facta pronuntiatione lex voluit.

Quid? si qua sors exierit sine suffragio, in qua sive consulto sive per imperitiam utramque litteram verso stilo ([1]) iudex deleverit? Lege Cornelia has quoque sortes computari diceres. ,*In consilium erant ituri iudices XXXII*' — sunt verba Ciceronis pro Cluentio cap. 27. § 74 — ,*sententiis XVI absolutio confici poterat — ut ad eum cumulum, spe maiorum praemiorum ipsius Staieni sententia septima decima accederet*'. Verum hic etiam vacuas sorticulas in computum vocari negaverim. Sunt enim eorum loco, qui voce et verbis iudicare negaverint, quos supra vidimus a sententiis ferendis per viatores apparitoresque semoveri. Nec sine ratione hoc loco

([1]) Plaut. Bacchid. 4, 4. 63. 76. 97. Cic. Verr. Act. 2. lib. 2. c. 41. § 101. de Or. 2, 23. Horat. Sal. 1, 10. 72. Symposii Aenigma 1 ,*De summo planus, sed non ego planus in imo: Versor utrinque manu diverso et munere fungor: Altera pars revocat quicquid pars altera fecit*'.

non duarum partium, maiorisve partis eorum qui adfuerint, sed plurimorum mentionem factam esse coniecimus.

Ceterum hoc caput, quod est in hac lege trigesimum septimum, in lege Iulia de pecuniis repetundis diceres unum et centesimum fuisse. (Cic. ad fam. 8, 8.) Vnde coniecturam capi posse crederes, quanto lex Iulia fuerit scripta diligentius. Attamen hoc alio referre praestat.

De reo absolvendo.

Sei eae sententiae ibei plurumae aequove numero erunt Absolvo, pr(aetor)
LV. *quei ex h(ace) l(ege) quaeret ita pronontiato Non fecisse videri. De quo reo* |
c. 11. *pr(aetor) ita pronontiaverit, qu*]od praevaricationis causa factum non erit, is ex
hace lege eius rei apsolutus esto. §.

Lex quidem Pompeia etiam ad absolvendum reum maiorem sententiarum numerum exegisse videtur: certe M. Saufeii defensores dicuntur obtinuisse, ‚*ut una sententia absolveretur*' (Ascon. in Mil. p. 54). In eandem sententiam verba legis Iuliae ex capite uno et centesimo relata concepta sunt. Verum tamen favor rei facit ut ‚*paribus tabulis absolutio detur*', nec videtur longius a more Romano M. Seneca recessisse, cuius in Excerptis ex decem libris controversiarum (libro 3. controv. 2) parricida aequis sententiis absolutus proponitur his verbis ‚*Miraris in hac civitate misericordiam, in qua lex absolutionem dat paribus tabulis. Quaeris quam multis non placeas? si unum adiecero, parricida es. Absolutionem legi non innocentiae debes*'. Nam et L. Seneca Ep. 81 ‚*Reus*, inquit, *paribus sententiis absolvitur*'. Atqui lege Iulia aliter statutum fuisse M. Coelii epistola docemur (ad fam. 8, 8). Verum eam legem de praevaricationis causa loqui, non de ipsa re, numero etiam capitis efficitur. Est enim unum et centesimum fuitque in fine legis scriptum, ubi agitur de appendiculis iudicii et de iudiciis contrariis. Igitur de hoc capite infra suo loco dicetur.

‚Non fecisse videri' formulam suppeditat Cicero (ad Att. 4, 16, 8): ‚*Drusus, Scaurus non fecisse videbantur*'.

Quod adiectum novissime est ‚*is ex hace lege eius rei apsolutus esto*' quam potestatem habeat videamus. Nam ex alia lege hoc quidem iudicio absolvi ideo reus nequit, quoniam *praetor*, ut Quintilianus (inst. 3, 10, 1) ait, *in publicis iudiciis certa lege sortitur*. Rursus ex alia lege si de eadem re, cuius hoc iudicio repetundarum lis aestimata sit, publico iudicio agi

coeperit, non puto tum impedimento fuisse, si ex hac lege absolutus reus fuerit. Princeps enim Titus vetuit ,*de eadem re plurimis legibus agi*' (Suet. Tit. 8. L. 14 D de accus. [48, 2] L. 41 D de poen. 48, 19). Ideoque nominatim infra cautum videbimus ne ex lege Calpurnia Iuniave actio moveatur.

(22) De reo condemnand[*o*.

d. 3. *Sei eae iudicum sententia*]e ibei plurumae erunt Condemno, pr(aetor)
(265) qu[*ei ex h(ace) l(ege) quaeret, ita pronontiato: Fecisse videri.*

,*Ibi esse*' dicitur, qui in ea eogitatione est, ut faciat aliquid. Terent. Heaut. 5, 2, 29. *Clitipho: ,Irrides in re tanta, neque me quidquam consilio adiuvas? Syrus: Immo et ibi nunc sum et usque id egi dudum* e. q. s. Ibidem 3, 1, 63 *subsensi id quoque Illos ibi esse et id agere inter se clanculum.* Lex Collegii Fontanorum versu 21 ,Recuperatore unoquotque [*in iusiurandum adacto, actor fac*]ito uti iuret, isque sibi testium causa esse dicet, magis(ter) quam [*primum facito iudicetur*'.]

Condemnationis formulae variae exstant. ,*Parum cavisse videri,* ut Festus p. 238 refert, *pronuntiat magistratus, cum de consilii sententia capitis quem condempnaturus est*'. In alia causa Verrem pronuntiantem Cicero (in Verr. Act. 2. Lib. 2. cap. 38 § 93) inducit: ,*Sthenium litteras publicas corrupisse videri*'. Cum nostro iudicio illud ,*Fecisse videri*' optime quadrare videtur, quod non modo Cicero affert (in Verr. 5, 6, 14 in Pison. 40, 97) sed et ipsa lex suppeditat versu XLI.

De iudicio dimit(t)endo.

Seive non fecisse videri seive fecisse videri pronontiatum fuerit, pr(aetor) quei ex h(ace) l(ege) quaeret, iudices, quei eam rem iudicaverint, eo die dimittito, eisque sed fraude sua de eo iudicio decedere liceto. §.

Non obstat sententiae, quam feci, quod litibus aestimandis ulterius operam dare iudices debent.

Non enim statim exspirare dimissum pro potestate indicium ideoque litibus aestimandis cogi rursus posse concludere licet ex Sosipatri causa, de qua Cicero (in Verr. Act. 2. Lib. 2. cap. 29 § 70) ,*Res* ait *illo die non peroratur: dimittitur iudicium*' — 72. ,*Non dubitabat Minucius, qui Sosipatrum defendebat, quin iste, quoniam consilium dimisisset, illo die*

rem illam quaesiturus non esset, cum repente iubetur dicere'. 30, 73. ‚*Minucius — respondit: causam sese, dimisso atque ablegato consilio, defensurum negavit'.* 74 ‚*Iste — si dimisisset eo tempore quaestionem, post illis adhibitis quos ablegarat, absolutum iri Sosipatrum videbat' e. q. s.* Minus itaque accurate Donatus ad Phorm. Act. 1. Sc. IV. v. 31 ‚*Semper* inquit *Ilicet finem rei significat ut Actum est.*' Rectius tamen addit: ‚*Sic Iudices de consilio demittebantur, suprema dicta quum praeco pronuntiasset Ilicet: quod significat Ire licet.*'

Sed ne illud quidem sententiae, qualem formavi, recte obiici potest, quod infra demum versu LXX de iudicio dimittendo cautum videtur. Ibi enim definitur, quando per alium, hoc est per parem maioremve potestatem impedimentum iudicio fieri possit: hoc loco ex mea quidem sententia statuitur, quemadmodum sui natura iudicium finem accipiat, iam ut ab ipso, qui exerceat, necessario dimittendum sit. Quod si cuipiam nihilo secius scrupulus aliquis tenuissimus in mente forte resederit, eum evelli necesse est his quae statim sequentur. Capite enim *de iudicio iterando* litis aestimationem novi iudicii loco esse lex iubet. Sequitur, iudices, qui condemnarint absolverintve, eo certe iudicatu perfunctos ideoque dimittendos esse videri.

De iudicio iterando.

LVI. e. 12. *Quei ex* | *h(ace) l(ege) condemnatus*] aut apsolutus erit, quom eo ex [h(ace)] l(ege), nisei quod postea fecerit, aut nisei quod praevaricationis caussa
(13?) d. 4. factum erit, au[*t nisei de litibus*] aestumandeis, aut nisei de sanctioni hoiusce legis,
(261) actio nei es[*to.*

Est certissima iuris regula: unum singulis rebus iudicati finem sufficere neque bis cum eodem agi posse. L. 6. D de exc. r. iud. (44, 2) L. 7. § 2. L. 18 D de accus. (48, 2) L. 4. § 2 D ad L. Iul. de adult. (48, 5) Quintil. 7, 6. 4. Declam. 266. Nam et Demostheni adv. Nausim. p. 989, 13 ἅπαξ placuit περὶ τῶν αὐτῶν πρὸς τὸν αὐτὸν εἶναι τὰς δίκας.

Plane novum crimen post absolutionem condemnationemve commissum novam causam facit. L. 11 § 4 D de exc. r. iud. (44, 2).

Praeterea excipitur praevaricationis causa, hoc est colludente accusatore cum eo unde petetur facta absolutio, nam collusione interveniente ne iudicatum quidem esse videtur. Cf. Vers. LIV. LXXIV. LXXXI Cic.

ad fam. 8, 8. Or. part. 36, 124 f. Plin. Ep. 3, 9. L. 3 § 1 D de praev. (47, 15) L. 3 § 1 D de hom. lib. exhib. (43, 29).

Neque in litis aestimationem cadere regula potest, quum litium aestimatio novum iudicium non contineat, sed ipsius iudicii nonnisi appendiculam quandam efficiat et sequelam.

Enimvero sanctionem legis excepisse nihil quidquam attinuit. Etenim *'sanctio legum* (ut ait Papinianus L. 41 D de poen. 48, 19 cuius interpretationem egregie adiuvat Savinius Syst. I. § 37. n. d. p. 233. § 42. n. c. pag. 365) *quae novissime certam poenam irrogat iis, qui praeceptis legis non obtemperaverint, ad eas species pertinere non videtur quibus ipsa lege poena specialiter addita est: nec ambigitur in cetero omni iure speciem generi derogare: nec sane verisimile est delictum unum eadem lege variis aestimationibus coerceri'*. Exemplo est sanctio legis, quae de lege incerta Bantiae reperta rogataque inter a. u. c. 621 et 636 (Mommsen. inscr. 197) exstat, quum ipsa lex perierit. Ibi enim praeter infamiam et iusiurandum etiam poena pecuniaria et multae irrogatio constituitur in haec fere verba (v. 7): '[- - *Sei ioudex*] quei ex hace lege plebeive scito factus erit, senatorve fecerit [*g*]esseritve, quo ex hace lege (8) [*quae fieri oporteat, minus fiant quaeve e*]x h(ace) l(ege) facere oportuerit oportebitve non fecerit d(olo) m(alo); seive advorsus hance legem fecerit (9) [*sciens d(olo) m(alo): is populo HS* .. *n(ummos) d(are) d(amnas) esto et*] eam pequniam quei volet magistratus exsigito. Sei postulabit quei petet, pr(aetor) recuperatores (10) [*sei advorsus h(ance) l(egem) fecerit neive fecerit quae eum ex h(ace) l(ege) facere opor*]teat dato iubetoque eum, sei ita pariat condumnari populo, facitoque ioudicetur'. Itaque multam poenamve ex sanctione qui petat, ex ipsa lege antea quum petierit, de eadem re agere non videtur. Quae vero praeterea sanctione contineri solent de impunitate et abrogatione clausulae, (Cic. ad Att. 3, 23), quales clausulas Lex de sacris inferiarum, item Lex de imperio Vespasiani in fine exhibet, ex iis ne moveri quidem actionem posse in confesso est. Ceterum admonendi sumus, ipsam sanctionem, quam hoc capite lex respicit, in ima parte tabulae perisse. Quae enim versu LXXXI vidisse sibi visus fuerat Vrsinus, ea iam pridem placuit esse alio transferenda.

De praedibus dandeis bonieve vendundeis.

Quei praetor ex h(ace) l(ege) de ea re quaesierit, is, utei quod recte factum
esse volet, primo quoque die facito, utei is, quei ex h(ace) l(ege) condemnatus
erit, pequniam in aerario ponat de consili maioris partis sententia, quantam eis
LVII. c. 13. *censuerint. Sei ea pequnia in aerarium ita pos|ita non erit, t*]um, quei ex h(ace)
l(ege) condemnatus erit q(uaestori) [1] praedes facito dei de consili maioris par-
(9) d. 5. tis sententia, quanti eis censuer[*int. Sei ita*] praedes datei non erunt, bona eius
(257) facito puplice possideantur, conq[*uaerantur, vendantur. Quanta pequnia ea*
bona venierint, tantam pequniam is praetor, quei de ea re quaesierit, ab ea
quei ea bona emerit deve bonis eius primo quoque die facita exsigatur quaeque
pequnia redacta erit, eam pequniam et quantum pequniae redactum eiet quaestori
LVIII. c. 14. *quoi aerarium obvenerit in taboleis | popliceis*] scriptum transdito. Quaestor ac-
cipito et in taboleis popliceis scriptum habeto. §.

Observandum est, quamvis nominis delatio hac lege sit, nullam tamen proprie poenam damnato irrogari; neque enim famae detrimentum infertur, ut lege Iulia (Suet. Iul. 43. Otho 2. Tac. hist. 1, 77. ann. 14, 24. L. 6 D de lege Iul. rep. 48, 11) multoque minus exilium reus aut duriorem poenam subit, qualis postea statui coepit extra ordinem (L. 7 § 3 D eod.). Sed non secus agitur cum damnato ac si privato iudicio condemnatus esset, famae vero causa (id quod e capite ,de civitate danda' concludi potest) soli animadversioni censoriae reservatur, praeterquam quod versu XXIII cavetur ne inter centumviros hac lege referri possit. Qua de re ficta potius quam re vera lata lex esse videtur, quam rhetoricorum ad Herennium auctor libri primi capite decimo primo paragrapho vicensima ponit huiusmodi: ,Lex vetat eum, qui de pecuniis repetundis damnatus sit, in concione orationem habere. Altera lex iubet, augurem in demortui locum qui petat, in concione nominare. Augur quidam damnatus de pecuniis repetundis in demortui locum nominavit: petitur ab eo multa. Constitutio haec legitima est ex contrariis legibus.'

Itaque hoc loco nonnisi cautiones proponuntur, quae necessario sequuntur condemnationem, ne fraudentur creditores, si forte damnatus solvendo non sit.

---

[1] Non ,Quaestor', nam iubere caveri praetoria stipulatione ad imperium praetoris pertinet. L. 4 D de iurisd. (2, 1) L. 9 D de stip. prael. (46, 5).

Earum cautionum tres species sunt: pecuniae depositio, praedum datio, bonorum venditio.

Privato enim iudicio condemnatus quamdiu legis actiones in usu erant, nisi vindicem daret, domum ab actore ducebatur et vinciebatur, nec permissum erat sibi manum depellere et pro se lege agere (Gai. 4, 25). Sublatis per legem Aebutiam et duas Iulias istis actionibus, ipse, quocum iudicati agebatur, Iudicatum solvi satisdare debebat (Gai. 4, 25. 102). Quod nisi fecisset ipse praetoris iussu in carcerem duci (L. 34 D de re iud. 42, 1), bona eius a creditoribus possideri et post illud tempus, quod ei partim lege XII tabularum, partim edicto praetoris dabatur, venum dari poterat. (Gai. 3, 77). Idque ius Senecae (de benefic. 4, 12) verbis significatur. ‚*Spondeo*', inquit, ‚*pro iudicato et suspensum amici bonis libellum deiicio creditoribus eius me obligaturus*'. Eadem plane ratione pecuniae damnatus populo, nisi praedibus praediisque suo die iudicatum solvi satis praestiterit, praetoris iussu, velut populi nomine manu iniecta, prebendi et in vincula duci, pecunia vero ex bonis eius redigi poterat. Id enim ex peculatus iudicio perspicitur, quod fuerat in L. Scipionem constitutum lege Petillia (Liv. 38, 60). Postea in hac quoque specie manus iniectio ex usu recessit, mansit tamen ea redigendae ex bonis damnati pecuniae forma, ut, nisi praesenti pecunia aut praedibus satisfactum satisve datum esset, bona praetoris iussu publice possiderentur. Ac primo quidem loco praesenti pecunia legem cautum voluisse ut credam, facit mentio pecuniae, ‚*quae ex hac lege in aerario posita erit*' bis infra et ea quidem ante praedum venditionem repetita (v. LX et LXV). ‚*Ne quis* enim *in captionem verborum in cavendo incidat, expeditissimum est poenam ipsam vel quid aliud pro ea deponere: necesse enim non habet sponsorem fideiussoremve dare aut praesens esse*'. Sunt verba Pauli sent. 5, 33 § 2. Quodsi deponere aut nolit aut nequeat, tum praedibus praediisque satis dare debet. A quibus id demum infra exigi iubetur, quod ‚*reus non solverit*' (v. LXVII). Qua de re in illa sanctione, quae in lege incerta aetatis Gracchanae Bantiae reperta exstat, (Mommsen. inscr. 197) his verbis prospectum est: ‚Sei condemnatus (v. 11) [*erit, quanti condemnatus erit, praedes*] ad q(uaestorem) urb(anum) det, aut bona eius poplice possideantur facito. Sei quis mag(istratus) multam inrogare volet, (12) [*quei volet, dum minoris*] partus familias taxsat, liceto eiq(ue) omnium rerum siremps lexs esto quasei sei is haace lege (13) [*pequniam quae s(upra)*

s(cripta) est exegisset'. Simiter lege Iulia repetundarum praedes dare licebat. Certe enim Cicero pro Rabirio Postumo c. 4. § 8 de hac lege locutus *,Sunt lites'* inquit *,aestimatae A. Gabinio; nec praedes dati, nec ex eius bonis, quanta summa litium fuisset, a populo recepta.'* Et c. 13. § 37 *,si aut praedes dedisset Gabinius, aut tantum ex eius bonis, quanta summa litium fuisset, populus recepisset, quamvis magna ad Postumum ab eo pecunia pervenisset, non redigeretur.'* Quin imo Lex Mamilia ne permittit illa quidem, ut praedibus datis bonorum venditionem condemnatus evitet. Ibi enim capite quinto sic cavetur: *,Et si is, unde ea pecunia petita erit, condemnatus erit, eam pecuniam ab eo deve bonis eius primo quoque die exigito eiusque pecuniae, quod receptum erit — partem dimidiam in publicum redigito.'* Itaque novo sane modo, nullo exemplo C. Verres pronuntiavit: *,ob eam rem* (hoc est ob corruptas litteras) *HS quingenties Veneri Erycinae de Sthenii bonis exacturum'*. Quod autem *,bona eius statim coepit vendere et vendidisset, si tantulum morae fuisset, quo minus ei pecunia illa numeraretur'* ut Cicero (in Verr. Act. 2. lib. 2. c. 38. § 93 refert), id, si modo ipsa sententia iusta fuisset, a iuris forma non nimium recederet. Nam et sub imperatoribus, modo clara persona damnata fuerit, ut bona eius publice custodirentur postulatum fuisse Plinius epistularum libro septimo, epistula tricesima tertia (quacum conferri debet L. 5 D de cur. fur. 27, 10), auctor est. Contra absoluto reo pronuntiatum fuisse ad extremum: *Non redigam:* Cic. ad Fam. 8, 8 ait his verbis. *,Cum aequo numero sententiae fuissent, Laterensis — pronuntiavit — ad extremum, ut solent'. Non redigam.*

Ad tabulas publicas quaestoris, quarum in fine capitis mentio fit, pertinet quod legitur in secunda actione in C. Verrem (lib. 1. cap. 38. § 96. cap. 39. § 99): *,De litibus aestimatis Cn. Dolabellae Pr(aetoris) pecuniae redactae'*. Sub hac rubrica deinceps singula nomina enumerantur, veluti *,Quod a communi Milyadum [frumento, coriis, ciliciis, saccis imperatis aestimatis captum coactum est HS tricies]*.

De leitibus aestumandeis.

(10) d. 6. [*Quei reus ex*] hace lege condemnatus erit, ab eo quod quisque petet,
(252) quoius ex hace lege peti[*tio nominisque delatio erit, id iudex, quei eam rem quaesierit, queive iudex ex hace lege factus erit, utei quod recte factum esse volet, per eos iudices quei eum reum condemnaverint, singilatim, cum suo quemque consilio, aestumari iubeto, quod ante hance legem rogatam consilio probabitur*

LIX. c 15. *captum c[o]actum ab*]latum avorsum conciliatumve esse, ea[*s*] res omnis simpli,
(13?) d. 7. ceteras res omnis, quo[*d*] post haoce legem rogatam co[*nsilio probabit*]'ur ca-
(250) ptum coactum avorsum conciliatumve esse, dupli idque ad qua[*estorem, quoi urbana provincia obvenerit, quantum siet quoiusque nomine ea lis aestumata siet, primo quoque die facito deferatur.*

Lis pecunia aestimari aut a reo potest, aut ab actore, aut a iudice. A reo, ut Athenis Atticis: huius enim civitatis iure, si fraus capitalis non esset, quasi poenae quaedam damnato aestimatio fuit (Cic. de Or. 1, 54. Quintil. 2, 1. 10. Nep. Milt. 7. Cim. 1, 1. Timoth. 3, 5). Actoris aestimatio est veluti si iniuriarum agatur (Gai. 2, 224, Collat. 2, 6.) et si quando in litem iurare permittatur. Plerumque tamen iudicis est, aestimata lite pecunia eum a quo petitur, condemnare, sive in rem actio sit (L. 21. § 3. D de pign. 20, 1) sive in personam, sive ex contractu agatur (Gell. 4, 4) sive ex maleficio, velut furti, aut damni iniuria, (L. 21. § 2. L. 22. pr. § 1. L. 26. L. 29. § 3. L. 33. pr. D ad L. Aquil. [9, 2]. L. 8. §. 1. D de cond. furt. [13, 1). L. 50. pr. D de furt. 47, 2) atque aliquando etiam iniuriarum (Gell. 20 1, 38. 39). Idque fit sive lege agitur, sive per formulam litigatur, nisi quod haec dissimilitudo est, quod, si quidem per formulam agatur ipse iudex aestimata lite, pecuniae reum condemnat, si vero legis actio constituta fuerit, iudex ipsam rem condemnabat veluti talionem imperabat (Gell. 20, 1, 38. 39) et de litibus aestimandis plerumque arbitri dabantur. Neque enim litis aestimatio, ut Cicero ait, (Cluent. 41, 116) iudicium est, sed inter cetera iudicii, hoc est sequela quaedam atque appendicula iudicii habetur, iudicesque ‚*quod se perfunctos iam esse arbitrantur, cum de reo iudicarunt, neglegentius attendunt cetera;* quin etiam *reo damnato de pecuniis repetundis, ad quos pervenisse pecunias in litibus aestimandis statutum sit, eos illi absolvunt; quod cum fit, non iudicia* inquit ille *rescinduntur, sed hoc statuitur aestimationem litium non esse iudicium*'. Nam et in legis Aquiliae actione, quae adversus confitentem competit, iudex non rei iudicandae sed aestimandae datur: nullae enim sunt partes iudicandi in confitentes (L. 25. § 2. D ad legem Aquil. 9, 2).

Itaque de pecuniis repetundis, quamdiu lege Calpurnia, legeve Iunia sacramento agebatur, potest, ut aestimatae per arbitros lites fuerint: fere ut Caesarem ‚*arbitros inter civitates* dedisse legimus, *qui litem aestiment poenamque constituant*' (de bell. Gall. 5, 1). Atenim Acilia lex, cuius

exemplum Corneliam postea Iuliamque secutam esse e verbis Ciceronis (in Verr. Act 2, lib. 5; cap. 49. § 128. pro Rab. Post. cap. 4. 5. cap. 13. § 57 item Coelii ep. 8, 8, 5) elucet, litis aestimationem disertis verbis eorum esse iubet, quorum iudicium iudicatioque esset, quaestionem vero praetori peregrino repetundisve delegat (v. 4. 6). Sequitur ut is ,iudex quei eam rem quaesierit, queive iudex ex hace lege fac[tus erit]' (v. 62) ,nec minus is ,iudex cui ipsi, cuiusque consilio, maiorei parti', is qui petet, *,satis fecerit litem aestimatam esse sibei'*, (v. 60) ut hi, inquam, omnes ad eosdem illos praetores, quosque ii in consilium adbibuerint, referendi sint. Nisi quis illud tentare velit, quem ad modum excusationibus cognoscendis principem aliquem iuratorum intervenire demonstravimus *,qui eam rem quaerat ex hace lege'* (v. 42. 43), quemadmodum v. 47 iudicem ex hac lege fieri coniecimus, qui ,praetori, quei ex hace lege quaeret, nondum plurimis liquere deixerit', ita litibus etiam aestimandis et faciendo tributui iudicem quaestionis cum consilio institutum fuisse *,quei eam rem quaesierit, queive iudex ex hace lege factus siet'* (v. 60. 62). Eiusmodi enim coniecturae baud repugnaverim, quum praesertim difficilius sit intellectu, qua de causa qui ex hac lege iudicium exerceat, quum alioquin constanter praetor in lege nominetur, idem subito finem versus iudicis nomine nuncupetur. Ex diverso iudicem, cuius consilio probabitur (v. 68) ante postve hanc legem rogatam captam fuisse pecuniam, nonnisi eorum aliquem esse fatebimur, quibus iudicatio litisque aestimatio hac lege data est. Quum enim *,in pecuniis repetundis'* et in peculatus iudicia non lis, sed lites id est *plures* ut Quintiliani (3, 10, 1) verbis utar, *eiusdem generis controversiae* veniant et longum videatur singulis litibus aestimandis operam omnes dare, tot iudicum consilia fieri lex iubet, quot sint lites aestimandae, fere ut in centumviralibus iudiciis, quae in plures hastas divisa sunt, quot hastae, totidem consilia distinguuntur. Iu consilio vero adhibere cuique iudici sine dubio omnes licet, qui sibi videantur aestimandis litibus satis esse idonei.

Ceterum de pecuniis repetundis antiquitus severe illae quidem, verum tamen simpli duntaxat, iure condictionis, quae ex causa furtiva nascitur, lites aestimabantur (L. 8. § 1. D de cond. furt. [13, 1] L. 3. 4. D de cond. trit. [13, 2] Cic. p. Mur. cap. 20. § 42). Acilia primum lex sanxit in posterum, ut duplo tenus aestimationis ratio iniretur. Cornelia quarto amplius adiecit, qui enim quadringenties Siculis abstulerat, ab eo millies ex

lege repetere licuit (Cic. in Q. Caecil. Div. 5. § 19. Act. 1. cap. 18. § 56, Act. 2. Lib. 1. cap. 10. § 27). Postremo lex Iulia in quadruplum iri iussit, fere ut ex nec manifesto furtum diceres factum manifestum esse, nisi in duplo aut quadruplo rei persecutionem et ipsam computari statuendum foret.

LX. *Pequnia ex aerario solvatur.*

Quei iudicei, quei eam rem quaesierit, eive iudicei quei ex h(ace) l(ege)
e. 16. *factus erit, consilioque eius, maiorei parti eorum, satisfecerit nomine su*]o paren-
tisve suei quoiusve ipse parensve suos heres siet(¹) leitem aestumatam esse,
(14) d. 8. queive eiei iudicei consilioque eius, maiorei pa[*rti eorum, sa*]|tisfecerit regis po-
(268) puleive ceivisve suei nomine litem aestumatam esse sibei, q[*uoive ipse parensve*
suos heres siet, eiei is iudex, quoi quoiusque consilio, maiorei parti eorum, ita
satis factum erit, utei quod recte factum esse volet, facito, utei quantae pequ-
niae eo nomine leis aestumata erit, tanta pequnia ex ea pequnia, quae ab eo
LXI. *deve bonis eius, quei ex hace lege condemnatus siet, redacta erit qu*|*aeque ex*]
e. 17. hace lege in aerario posita erit, ob eam rem, quod eo nomine lis aestumata
(15) d. 9. erit, in triduo proxsumo, quo ita satis [*de ea re factum erit*]| ex hace lege sol-
(246) vatur. Neivequis iudex neive quaestorfacito sciens dolo m[*alo, quo minus iu-*
dicei consilioque eius, maiorei parti eorum, satisfiat, quove minus ob eam rem,
quod eo nomine lis aestumata erit, in triduo proxsumo, quo ita satisfactum erit,
ex h(ace) l(ege) pequnia solvatur.

Quod scriptum est hoc capite de pecunia, ,quae ex hace lege in aerario posita erit' id dubium non est, quin ad redactam ex bonis damnati venditis pecuniam referendum sit. Qua de re supra cautum fuit illo capite cui inscriptum est ,De praedibus dandis bonisve vendendis'. Itaque verba ,ob eam rem, quod eo nomine lis aestumata erit' non cum verbis ,in aerario posita erit' quae antecedunt, sed cum sequentibus coniungenda esse intellegitur. Non enim deponendae pecuniae causam indicant, sed solvendae.

Quo loco admonendi sumus, *satisfecerit* illud simpliciter dici pro composito *satis effecerit,* hoc est *evidenter probaverit,* insolita illa quidem, verum haud inelegante verbi, quod plerumque ad solutionem trahitur, significatione.

Iubet vero satis fieri lex *iudici consilioque eius, maiorei parti eorum,* hoc est illorum, quos in consilium idem iudex adhibuerit, facta more

(¹) Coniungenda sunt verba *,parensve suos'* non *,suos heres'*. Omnem enim heredis heredem constat heredis loco esse L. 65. L. 170. D de V. S. (50, 16).

veterum legum appositione. Quod ius quale fuerit, iam paulo diligentius inquiramus. Ac memini me statuere in historia iuris (II, § 132. not. 41) *iudicem* esse praetorem, *consilium* illorum ipsorum iudicum quinquaginta, quorum ex hac lege iudicatio litisque aestimatio esse iubetur. Verum non recte sibi opponuntur *iudex, qui eam rem quaesierit* et *iudex ex hac lege factus,* nam is ex hac lege item quaerit. Itaque magis nunc puto *iudicem qui eam rem quaesierit* esse eum de quinquaginta iuratorum numero, qui eam ipsam litem, qua de agitur, aestimaverit. *Iudicem* vero *ex hac lege factum* principem aliquem iuratorum intellegendum esse existimo, qui ob pecuniam tribuendam vel ad quaestorem redigendam speciatim hac lege factus iudex sit, quum alius litem aestimaverit. Nam et causarum noscendarum causa principem aliquem iuratorum intervenire supra demonstratum est. Quod vero ait lex *ex hace lege factus,* ideo adiiciendum fuit, quia merum imperium, quod lege datur, mandari a praetore sine lege non poterat, (L. 1. § 1. D de off. eius cui mand. 1, 21). Neque illud huic interpretationi recte obiiceretur, velle legem, *ut satisfiat litem aestimatam esse sibi,* quae res quum ex capite primo sit iudicum quinquaginta iuratorum, dissentaneum fore, si quis statuere velit, probandum rursus esse eisdem, quod gestum antea fuerit ad semet ipsos. Id enim casu et fortuito potius quam ordine eveniret. Nam aestimandarum litium arbitrium penes iudices quinquaginta esse iubetur, aestimatarum vero probatio maiori parti eorum facienda est, quos in consilium eius rei causa iudex adhibuerit, sive idem iudex eam rem quaesivit, sive alius quispiam ex hac lege in eam rem iudex factus est. Quodque adiicitur *maiorei parti eorum,* ex more adiectum est. Maiorem enim partem in toto fere iure publico pro toto, minorem pro nihilo haberi, plurima exempla ostendunt. Sic cautum fuit lege Domitia, ut sacerdotia, quod ea populus per religionem mandare non poterat, per minorem populi partem mandarentur, hoc est, ut tribus septemdecim intro vocarentur, earum novem quem sacerdotem fecissent, is pro collegio cooptaretur (Cic. agr. 2, 7. § 18). Rursus cui decem et octo tribus honorem abrogaverint, ei videbatur populi suffragiis abrogatus esse (Appianus de bell. civ. 1, 12.). Nam et lege Iulia refertur ad universos decuriones, quod publice fit in municipiis per maiorem partem, quum duae partes adfuerint. Idemque in arbitris ex compromisso factis iudicibusve privatis iuris esse tam iure consulti quam rhetores constanter memoriae prodiderunt (L. 17. § 7. L. 18. D de rec.

q. arb. 4, 8. L. 36. L. 38 pr. D de re iud. 42, 1. Quintil. Declam. 365).

Quae singula si quidem non plane inargute a nobis disputata sunt, fatendum erit, iam optime ex hac lege exemplis adiuvari sententiam eorum, qui iudicem quaestionis, antiquitus certe, praetoris loco quaestioni alicui praefuisse negaverunt, sed subditum imperio praetoris certis quibusdam eiusdem quaestionis partibus expediendis praestitutum fuisse existimant. Quae fuit pridem fere sententia Mommsenii, in ephemeridibus novis litterariis Ienensibus a. 1843. No. 65. ab eo proposita. Sane sub finem saeculi alterius generis iudices de tota re, velut lege Cornelia inter sicarios et de veneficiis quaesivisse ex capite primo legis Corneliae cognoscitur (Cic. p. Cluent. 54. Collat. 1, 3. § 1). Eiusmodi iudices post aedilitatem fere fuerunt C. Claudius Ap. f. C. n. Pulcher, AED(ilis) CVR(ulis) IVDEX. VENEFICIS. PR(aetor) REPETVNDIS a. u. 659 (Orell. n. 569), Q. Voconius Naso in Cluentii causa a. u. 688 (Cic. p. Clu. 54), C. Visellius Varro, vir perfectus in litteris traditaque a patre Aculeone iuris civilis disciplina clarus, qui, quum post curulem aedilitatem iudex quaestionis esset, post annum 696 est mortuus (Cic. Brut. 76, 364), item C. Octavius, pater Augusti (Orell. n. 592), quique deinceps in inscriptionibus memorantur iudices quaesitores, quaestionis, quaestionumve rerum capitalium (Orell. 3109. 3827. 6450). Igitur duo genera iudicum distinguemus: alterum quaestionum, alterum eorum, qui rem quaerunt: hoc in repetundis, illud in ceteris causis rerum capitalium tralaticium est.

Quibus lites aestimatae sint, eos, si pecunia redacta non sufficiat, in tributum lex vocat his fere verbis:

De tributu faciundo.

LXII. *Quei iudex eam rem quaesierit, queive iudex ex h(ace) l(ege) factus erit,*|
c. 18. *sei is iud*]ex ex hace lege pequniam omnem ad quaestorem redigere non potue-
(21) d. 10. rit, tum in diebus X proxumeis, quibus [*quae pequnia redigi pote*]|rit, redacta
(244) erit, iudex, quei eam rem quaesierit, queive iudex ex hace lege fac[*tus erit quae
pequnia redigi potuerit, eam pequniam inter eos, quorum lites aestumatae erunt, pro portioni tributum iri praedeicito eiusque tributus faciundei causa, utei quod recte factum esse volet, tempus edito, quo eis, quibus nomine suo, parentisve,*
LXIII. c.19. *quoive ipse parensve suos heres s*|*iet, lites*] aestumatae erunt, quoius[*ve*] regis

populeive nomine lis aestumata erit, legati adessint([1]), deum([2]) nei longius C(entum) dies edai.

Observatum supra fuit tributi nomen nondum neutro genere in lege scribi, sed uno masculino ut apud Plautum in Epidico 2, 2, 43, ubi haec leguntur: *‚Tributus cum imperatus est negant pendi potesse: illis quibus tributus maior penditur, pendi potest'*, item apud Catonem; *‚cum tributus exigitur'*, quae verba servavit Nonius 3, 252. Nam, ut Gellius (13, 21, 19) observat: *‚hic peccatus' quasi ‚peccatio' recte Latineque dicitur, sicut ‚hic incestus', non qui admittit, sed quod admissum est, et ‚hic tributus', quod ‚tributum' nos dicimus, a plerisque veterum dicta sunt. ‚Hic' quoque ‚adlegatus' et ‚hic arbitratus' pro ‚adlegatione' proque ‚arbitratione' dicuntur, qua ratione servata ‚arbitratu' et ‚adlegatu meo' dicimus.*

Est autem tributus sive tributum eiusdem pecuniae inter plures homines pro rata portione facta distributio. Eaque fit aut inter debitores, qui certam quandam summam conlaturi sunt, aut inter creditores, quibus debetur, aut inter utrosque. Inter debitores fit distributio veluti lege Rhodia, ubi iactu mercium facto omnium contributione sarcitur quod pro omnibus datum est (L. 1. L. 4. pr. D de Lege Rhod. 14, 2). Inter debitores et creditores si ex privato in publicum pecunia contribuitur a provincialibus, ut stipendii nomine militibus distribuatur (L. 27. § 1. D de V. S. [50, 16] Gai. 4, 27. Paul. ex Fest. p. 367 M.). Denique inter creditores solos edicto praetoris tribuitur merx peculiaris quodve inde receptum fuerit, quotiens sciente domino ea merce servus negotiatus sit. Fit enim tributio pro rata eius quod cuique debeatur, adeo ut si ea merx quodve inde redactum fuerit, creditoribus non sufficiat, dominus perdat privilegium deductionis et si maiorem partem crediti deduxerit minusve ceteris tribuerit, tributoria conveniri possit (L. 1. pr. L. 5. § 7. 19. L. 7. § 2. L. 19. D de trib. act. 14, 4). Atque eadem aut simili ratione in hoc iudicio, quod de pecuniis repetundis constitutum sit, qui iudici consilioque eius satis fecerint

---

([1]) Ita operarius per imperitiam scripsisse videtur. Scribendum erat: *adsient* ut apud Terentium Ph. 1, 5, 83. Ad. 4, 4, 10. *Assiem* est etiam apud Plautum Ps. 4, 1. 16 et 4, 7. 13. Verum etiam *Potessim* legitur apud eundem Pers. 1, 1, 41.

([2]) In hoc verbo denuo scalptor lapsus est: etenim *deum* scripsit, quum scribere deberet: *dum*.

quanti cuiusque res sit, inter eos iudex pro rata cuiusque litis aestimatae distribuit quicquid adhuc ex boois coodemnati redigi potuit.

Tributo faciendo tempus a iudice edi lex iubet. Tempus, inquam, noo diem, ea ratione, quam ad edictum praetoris Vlpianus L. 1. § 1. 2. D de iure del. (28, 8) attulit his verbis: *‚Ait praetor: si tempus ad deliberandum petet, dabo.* § 2. *Cum dicit tempus nec adiicit diem, sine dubio ostendit, esse in ius dicentis potestate, quam diem praestituat'.* Itaque in taxatione quae adiicitur non est: *‚dumne longiorem'*, sed *‚dum ne longius* (tempus, quam) C *dies edat'*. Neque enim adverbii potestatem hoc loco *longius* illud habet, quamvis apud Caesarem B. G. 5, 53. *‚Gallorum copias non longius milia passuum octo ab hibernis suis afuisse'* recte dicatur. Nempe aliud est looge abesse, aliud longe edere vel dare, quod ne intellectum quidem habet. Diem vero edere iudex iubetur centesimo oe longiorem, quoniam is consuetns deliberandi et cretionis finis est. (Gai. 2, 164-174. Vlp. 22, 27-34). *Edi* autem noo est dictari vel libellum tradi vel codicem proferri, ut L. 6. § 6. D de edeodo (2, 13), sed *‚dari'* ut L. 1. § 1. D de iure delib. (28, 8) et *edici*. Edici vero de ea die oportet iotra diem decimum, hoc est intra tempus brevissimum (cf. Lex Iul. muo. 34. L. 30. § 1. D de usurp. [41, 3]. L. 69. D de iud. [5, 1]).

(20) d. 11. *De tempore a iudice stat]*uto servando.

Differunt inter se statuti, stati, constituti, praestituti dies vel tempora. Statuti suot, qui indicuntur, stati qui legitimo tempore quotannis revertuntur. Itaque rectius *statutus* quam *status* legitur in illo Livii 24, 27 *‚statutus est comitiis dies'*, item in illo 29, 13. *‚Tres in anno statutos dies habuisse quibus interdiu Bacchis initiarentur'*, quamquam differunt codices manu scripti. *‚Constitutum'* proprie dicitur condictum ex consensu tempus, ut apud Ciceronem (p. Caecin. 12. ad fam. 7, 4) Varronem (de re rust. 2, 5) Florum (2, 6). Denique *praestituta* dies vocatur, quam is, cui praefiniendi ius fuerit, iussu atque arbitrio suo praescribit, ut apud Plautum Pseudulo I, 1, 58, Terentium Phorm. 3, 2, 37, Ciceronem Verr. 2, 1, 56, 148.

Aliter sane Mommsenius rubricae sententiam refecit. Scribit enim: *De tributo servando.* Sed viginti litteras periisse, non sex dumtaxat, ab ipso Mommsenio edocti sumus. Praeterea vereor, ne *tributo* pro *tributu*

in lege scriptum non fuerit. Adiicit quidem Mommsenius interpretationem p. 69 confirmandae sententiae huiusmodi: ‚*Servare inquit, tributum lex dicit ut dicunt iure consulti idem servatur, in usu servatur*'. Vix tamen esse puto ut, *servare tributum*' ex scriptura et mente legis recte dicatur. Contra *servare diem* dixit D. Marcus L. 1. § 7. D quando app. (49, 4).

Itaque hoc capite praesentibus qui diem statutum servaverint, tribus vero sequentibns eis *quei non aderit* prospici cosequeos est.

Sed rubricae vitia Mommsenio impedimento non fuerunt, quo minus ipsius capitis ita seotentiam expediret, ut ea, paucissimis duotaxat mutatis, hoc fere modo formari possit:

(243) Vbei ea dies venerit, qua die iusei erunt adesse, iudex, quei e[*am rem quaesierit, queive iudex ex h(ace) l(ege) factus erit, is, quanta pequnia eius, quei ex h(ace) l(ege) condemnatus fuerit, ex bonis redacta erit, tantam pequniam in eas, quorum lites aestumatae erunt, pro portioni tribuito. Pr(aetor), quei eiei iudicei consilioque eius maiorei parti eorum litem aestumatam esse*
LXIV. e.20. *si|bei satis*] fecerit, ei primo quoque die quaestorem solvere iubeto quaestorque eam pequniam eis sed fr(a)ude sua solvito.

‚*Venire diem*', ut ait Vlpiaous L. 213. D de V. S. (50, 16) ‚*significat cum diem venisse quo pecunia peti potest*'. Neque vero peti potest ante quam tributum factum sit, quamvis dies cesserit facta coodemnatiooe.

Pro portione tribuito seu pro rata portiooe portionisve ut Scaevola ait L. 75. pr. D ad S. C. Treb. (36, 1) et Iavolenus L. 34. D de bon. lib. (38, 2) item Imperator L. 3. C de sent. pass. (9, 51) idem est atque pro ea parte crediti nominisve tribuito, quae unicuique creditori ex pecunia exsolvi potest, si nemo ceteris praeferatur.

Vt quaestori ‚sed fraude sua' solvere liceret, hoc est sioe damni periculo, ideo opus fuit caveri, quia alioquin quaestori, praeterquam senatus consulisve iussu, dandae, attribueodae, solvendae ex aerario pecuniae potestas nulla foret. Cuius rei Polybius 6, 12 (10) et Cicero Philipp. 9, 7 (16) 14, 14 (38) testes citari possunt locupletissimi.

Quaestorem vero solvere, quin imperium maius habeat, iubere nemo potest. Qua de causa eam potestatem (ut versu LXIX expressum est) ipsi praetori, non iudici, qui eam rem quaesierit, quive ex hac lege factus sit, adscribeodam putavi, quantumvis licet in litibus aestimandis tribuendave pecunia eiusmodi iudex quaestionis praesto praetori fuerit.

Eadem ratione illud ‚*qua die iusei erunt adesse*' ad praetoris iussum rettulerim, quum is solus vocationem populi viritim habeat.

(19) d. 12. *Quei aberit eius portio*] in aerario siel.

(227) Quod eorum nomine, quei non aderil, tributus factus [*erit, quaestor, utei ea pequnia ad eam diem donec eis, quei aberit, solutum erit, in aerario facito servetur.*

Sententiam capitis Mommsenius indicare quam reficere maluit: neque enim ‚*Reliquom*' verbum priori, neque illud ‚*quaestor in aerario servato*' posteriori lacunae explendae sufficit.

De die prodeicenda.

Quaeque pequnia ita in aerario servabitur, eius tribuendae causa praetor, donec solutum erit, quotiens volet, diem prodeicito.

Praedicere proprie est ante dicere quam aliquid fiat, ut possit alter praecavere: veluti qua de re quisque satis acceperit (Gai. 3, 123), ut vectores res suas servent (L. 7. pr. D Nautae 4, 9), de vitio servi venditi (L. 26. § 7. D Mand. [17, 1] L. 17. § 19. L. 52. D de aed. ed. [21, 1]). Terent. Andr. 1, 2. 34. ‚*Ne tibi dicas non praedictum*'.

Atenim aliud est praedicere aliud prodicere. Prodicere diem dicitur, qui quodammodo porro dicit diemque differt postquam ea exierit edictumve circumductum sit. Quod nemo potest, nisi qui diei dicendae, et si palam apud forum fiat, qui edicendi potestatem habet, ut ex his apparet quae de Appii Claudii contumacia ac spiritu narrantur apud Livium 2, 61. his verbis: ‚*Semel causam dixit, quo semper agere omnia solitus erat accusatorio spiritu adeoque constantia sua et tribunos obstupefecit et plebem, ut diem ipsi sua voluntate prodicerent, trahi deinde rem sinerent. Haud ita multum interim temporis fuit. Ante tamen, quam prodicta dies venerit, moritur*'. Idem 38, 52. ‚*hic speciosus*' inquit ‚*ultimus dies P. Scipioni illuxit, post quem, quum invidiam et certamina cum tribunis prospiceret, die longiore prodicta in Liternum concessit; certo consilio, ne ad causam dicendam adesset*' cf. L. 68-73. D de iud. (5, 1) L. 17. § 1. D ex quib. caus. (4, 6).

Itaque hoc capite, ad quod caput verba legis respiciunt quae proxime sequuntur, cautum fuisse necesse est, si dies servata non fuerit, tum ut prodicere diem, id est sine certa lege semel saepius, donec solutum sit, etiamsi totum quinquennium interventurum sit, proferre diem praetori liceat.

LXV. ***De die proscrib|enda.***

c. 21. *Quei*] praetor ex hace lege tribuendei causa prodeixerit, is, utei qood
(21) recte factum esse volet, facito, quomodo prodei[*xerit, eodem modo eam diem*
d. 13. *m*]aiore parte diei, ad eam diem donec solutum erit, apud forum, palam, ubei de
(200) plano r[*ecte legi possitur, proscriptam propositamque habeat.*

Maior pars diei pro toto die habetur, quemodmodum in Vtrubi interdicto maior pars anni pro anno procedit (Gai. 4, 152). Itaque lege quoque Iulia municipali (a versu 13° ad 16um) similiter cavetur: ‚*Quod quemque h(ac) l(ege) profiterei oportebit, is, apud quem ea professio fiet .... omnia ... intabulam in album referunda idque aput* [*f*]*orum .... cottidie maiorem partem diei propositum habeto u(nde) d(e) p(lano) r(ecte) l(egi) p(ossit)*'.

‚*Cuiusque*' autem ‚*diei maior pars*' (ut Paulus libro primo ad Edictum [L. 2. § 1. D de V. S. 50, 17] scribit, quo libro et ipso de iuris dictione et albo agi constat,) ‚*est horarum septem primarum diei non supremarum*'. Itaque differt dies ab anno: nam in Vtrubi Interdicto et qui mensibus septem posterioribus possederit, eo anno possedisse videtur maiore parte (Gai. 4, 152). Nec differentiae ratio in obscuro est. Quum enim negotiis et forensibus rebus agendis nisi antemeridianae diei horae destinatae fere nullae sint (ut docent Gell. 17, 2. 10. Festus v. Suppremum p. 305. Cic. in Verr. 2, 17. 41. Paul. 4, 6. § 2. L. 1. § 8. D quando app. [49, 4] L. 1. C de off. civ. iud. 1, 45), consequens est scilicet, qui certo aliquo die sisti promiserit, si hora demum pomeridiana vadimonium obierit, ut non videatur stitisse (Gai. 4, 184. L. 8. pr. D qui sat. 2, 8). Rursus ubi magistratus certo die propositum habere iubetur, si septem horis antemeridianis proposuerit, quum naturalis dies in horas duodecim dividatur et maior pars pro toto habeatur, efficitur, ut videatur legi satisfecisse idque hoc loco disertis verbis agnoscitur.

Ceterum quo modo prodixerit eodem modo proscribere praetorem oportet. Nam et lege Iulia municipali v. 14. 15. scriptum est: ‚*eademque omnia quae uteique intabulas rettulerit ita intabulam in album referunda* (curato)'. Quae Mommsenius fecit ‚*ea omnia*' quaeque praecedunt et sequuntur, quum desint litterae septem litterarum viginti et unius numero, hiatum non explent.

Manet proscriptum ac propositum ‚*ad eam diem donec solutum erit*'.

Ex his ego verbis concludi posse deputavi, amplius semel et ultra centesimum proferre diem licuisse.

De tributu proscribendo.

Praetor, utei quod recte factum esse volet, facito, utei quorum nomine, quantique is iudex, quei eam rem quaesierit queive iudex ex hace lege factus
LXVI. c. 1. (7) e. 22. *erit, tributum*] | fecerit, die[*s proxs*]umos, ex ea die, qua tributus factus erit,
(21) apud forum, palam, ubei de plaoo recte legi possitur, proscri[*pta sient.*

Hoc capite videtur illud caput legis continuari, quo *de tempore a iudice statuto servando* cautum esse vidimus. Iubet enim eorum omnium nomina, quorum nomine tributus factus sit, palam apud forum proscribi. Publice enim notum esse expedit, quanti cuiusque lis aestimata fuerit, quantumque in eam litem cuique eorum tributum sit. Deque his rebus sine dubio etiam speciatim lex statuerat. Publice vero interest, propter illam rationem, quae statim sequetur, quia reliqua pecunia post quinquennium populi fit.

Quod ait lex ‚*palam*' id duplicem intellectum habet. Nam in praedicendo significat ‚*coram pluribus*', (Gai. 3, 123. L. 33 D de V. S. 50, 16) in proscribendo vero ‚*claris litteris, unde de plano recte legi possit*' (L. 11 § 3 D de inst. act. 14, 3). Itaque abundare fere videtur. ‚*Proscribo*' enim, si Charisium audimus, (lib. 2. p. 210) et ipsum est ‚*palam et aperte scriptum propono, ut cum bona alicuius proscribo*'.

d. 14. *Reliqua pequnia*] post quiuqueuium populei fiet. §.

Quae pequnia ex hace lege (¹) in aerarium posita erit, quod in anneis
(201) qu[*inque proxumeis ex ea die qua tributus factus erit eius pequniae q(uaestor) non solverit,* (²) *id ex h(ace) l(ege) populei esto* (³).

Sententia qualem Mommsenius expedivit, dubia non est, sed de ratione ambigi potest. Est quidem certissima iuris regula, commissa post quinquennium vindicari non posse. Nam et imperatores Severus et Antoninus Linuo rescripserunt in haec verba: ‚*Neque commissum, quod ante quinquennium factum dicitur, si lite res anticipata non est, vindicari potest*'

(¹) cf. vers. LXI.

(²) cf. vers. LX. LXVII.

(³) cf. Vlp. XIX, 17. ‚*Lege nobis adquiritur velut caducum vel ereptorium ex lege Papia Poppaea*'. Iam his alia quaepiam ex hac lege species accedit.

L. 2 C de vect. (4, 61). Sed haec in vectigalibus recepta sunt, quoniam vectigalium locatio finiri quinquennio et ipsa solet. Hoc amplius commissorum et pecuniae in aerario positae ratio eo differt, quod illa quidem post quinquennium vindicari non possunt, pecunia vero ne fiat quidem populi nisi quinquennio elapso. Igitur quod post quinquennium velut caducam fieri lex pecuniam iubet, quam quis non ceperit receperitve, id equidem ob eam fere rationem factum esse putem, quam Vlpianus L. 1 § 13 D de separat. (42, 6) refert his verbis: ,*Quod dicitur, post multum temporis separationem impetrari non posse: ita erit accipiendum, ut ultra quinquennium post aditionem numerandum separatio non postuletur*'. Sed utut est, rem ex antiquo quinquennio censurae descendere manifestum est.

De pequnia a praedibus exigenda.

Quei ex h(ace) l(ege) praedes datei erunt, q(uaestor) quoi aerarium pro-
LXVII.c.2. (2) e. 23. *vincia obvenerit* (¹) *queique deinceps* (²)] | eandem provin[*ci*]|am habebit, eis faciunto, utei quod recte factum esse volet, quod eius is reus non solverit ab eis
(21) d. 15. pr[*aedibus eius primo quo*]que die pequnia exigatur. §.

Ita fere sententiam capitis formaverim declinatam illam aliquantulum a Mommsenii verbis, qui tamen de praedibus agi princeps statuit merito. Postquam enim superioribus capitibus provisum fuit, pecunia praesenti seu sponte seu bonis venditis in aerario posita, ex aerario quemadmodum et intra quod tempus petitori satis fiat, ordinarium fuit cavisse: quando a praedibus de consilii maioris partis sententia datis (v. LV-LVII) iure praediatorio (de quo iure dixi brevissime in historia iuris II. § 93) exigi possit.

Fit autem exactio, sive lege praediatoria sive in vacuum praedes veneant, simul atque cuius pecuniae reus de consilii sententia praedes dederit, eam ipse, litibus aestimatis, non exsolvat. Neque audiendi praedes sunt, si forte desiderent, reus eiusque bona ut ante excutiantur a quaestore: id enim ut fieret soli pudori fideique rei commissum erat antiquitus. Itaque ,*domi quidem* — de Marco Antonio locutus Cicero ait (Philipp. 2, 31, 78) — *causam amoris habuit; foris etiam turpiorem ne L. Plancus praedes tuos venderet*'. Neque in praedibus vendendis durior aerarii causa esse potuit,

(¹) Cf. v. LXXI. LXXVIII.
(²) Cf. v. LXXVIII.

quam fuit privati creditoris in conveniendis sponsoribus atque fideiussoribus, de quibus scite, ut solet, disputat Huschkius in ephemeridibus historicis quibus inscribitur *Zeitschrift für geschichtliche Rechtswissenschaft* Tom. XIV. pag. 55-59.

Pequnia infiscis opsignetur. §.

(201) Quaequomque pequoia ex hace lege ad q[*uaestorem quoi aerarium provincia*
obvenerit ex litibus aestumateis redacta erit, ea pequnia is quaestor, utei quod
recte factum esse volet in fiscis facito mittatur signoque publico opsignetur facito
LXVIII. c.3. e.24. *et in quoque fisco scriptum habeto*] | quis praetor lites aes|tumaverit et uode ea
(21) pequnia redacta siet quantumque in eo fisco siet. Quaestor queiquom[*que dein-*
d. 16. *ceps erit, utei quod*] recte factum esse volet, facito in diebus V proxumeis, qui-
(201) bus quomque eiei aerarium provincia obvenerit [*fisci omnes resignentur et sei ea*
pequnia inventa erit, is fiscus signo puplico denuo opsignetur. Sei nihil mi-
nusve inventum erit quod eius malo pequlatu abesse compererit, de ea re quae-
ratur facito.

Fisci, fiscinae, fiscellae, in quibus omnem omnino pecuniam ex litibus redactam servare quaestor iubetur sunt ‚*sportea utensilia ad maioris summae pecunias capiendas. Vnde quia maior summa est pecuniae publicae quam privatae, ut pro censu privato aerarium dicitur, pro loculis et arca thesauri, pro saccello fiscus. Vnde fiscus pecunia publica et confiscare dici solet.*' Ita certe vetus interpres (p. 135 Or.) ad illud Ciceronis in Verrem I, 8, 22 ‚*fiscos complures cum pecunia Siciliensi a quodam senatore ad equitem Romanum esse translatos: ex his quasi X fiscos ad senatorem illum relictos esse*' definit. Ac similiter Isidorus (20, 9) ‚*Fiscus* inquit *saccus est publicus, unde et fiscellae et fiscinae dicuntur. hunc habent exactores et in eo mittunt debitum publicum quod redditur regibus*'. Easque explicationes veras esse intellegitur ex verbis Ciceronis in Verr. A. 2. lib. 3. c. 79. § 183. c. 85 § 197 ‚*quaternos HS quos mihi senatus decrevit et ex aerario dedit ego habebo et in cistam transferam ex fisco*', item Suetonii Claud. c. 18 ‚*Positis ante se cum pecunia fiscis*' et Senecae de ira 3, 33 ‚*libet intueri fiscos in angulo iacentes.*'

Fiscorum inscriptiones distant a tabulis quaestoris publicis, (Cic. in Verr. Act. 2, lib. 1. cap. 38 § 96. cap. 39 § 99) in quibus refertur solum, quae lites reo aestimatae sint, neutiquam vero quanta pecunia in singulis fiscis sit.

De obsignatione et resignatione adiri potest Paulus 4, 6 § 1, item L. 7 D de usur. (22, 1) L. 56 D Mandati (17, 1).

Quinque dies ex legibus Apuleiis noti sunt (videsis Appianum de bell. civ. 1, 30). In agraria quae in aversa tabulae parte scripta exstat (cap. 25. 35. 37. 38) pro negotii qualitate modo brevius spatium est, modo longius.

Quaestor extra ordinem solvito.

LXIX. c. 4. e. 25. *Sei quoi*]| pequniam ex hace lege, | quod sine malo pequlat[*u*] fiat, pr(ae-
(21) tor), quei ex hace lege quaeret, darei solvi iuserit, id quaestor [*quei quomque*
d. 17. *aerarium pro*]vinciam optinebit, sed fraude sua extra ordinem dato solvitoque.

Quod dicitur ‚*extra ordinem*' accipias ante legitimum tempus solutionis, hoc est, si pecunia omnis in aerario posita sit ante triduum illud a probata litis aestimatione numerandum, sin tributum fieri oporteat, primo quoque die post diem sive dictam sive prodictam. Itaque eadem fere significatione extraordinaria solutio accipitur, qua extraordinarius reus dicitur qui non servato ordine causam dicit (Cic. de inv. 2, 19, 58. ad fam. 8, 8. § Schol. Bob. in orat. pro Mil. p. 281. 282).

Excipitur solutio, quae non tam extra ordinem quam contra iuris ordinem fieri videatur, qualem Cicero significat, ubi negat ‚*eum qui se ab reo pecuniam, cum iudex esset, clam atque extra ordinem cepisse confessus esset, salvum esse posse*' (p. Cluent. 31, 85 cf. L. 155 § 1 D de R. I. [50, 17] L. 6 pr. D de off. procons. 1, 16). Solutionem dico, quae facta sit ‚*malo peculatu*': nam ut doli, ita peculatus vox anceps apud veteres erat, qua de re praeter Vlpianum (L. 1 § 3 D de dolo malo 4, 3) adeunda est Lex Cornelia de scribis et viatoribus, in qua quae supersunt ita incipiunt: ‚*Q(uaestoribus) urb(anis) quei aerarium provinciam optinent eam mercedem deferto, quaestorque, quei aerarium provinciam optinebit, eam pecuniam ei scribae, scribeisque heredive eius solvito idque ei sine fraude sua facere liceto, quod sine malo pequlatu fiat, olleisque hominibus eam pecuniam capere liceto*'.

Quaestor moram nei facito. §.

(200) Q[*uaestor quoi aerarium provincia obvenerit, sei quam pequniam ex hace lege solvi oportebit seive praetor quei ex h(ace) l(ege) quaeret, darei solvi iuserit, moram nei facito, quo minus ea omnia fiant dentur solvanturque.*

Haec clausula adiicienda fuit necessario, ne forte quaestor, a praetore solvere iussus, peculatus obtentu recusare solutionem velit. Neque enim de praetoris peculatu quaestoris iudicium esse potest.

Iudicium nei quis inpediat.

Sententiam Klenzius et Mommsenius eo usque expediverunt, ut paucis adiectis integra procedat in hanc formam:

LXX. c.5. c.26. *Quod*]| ex hace lege [*iu*]dic[*i*]um fier|i oportebit, quom ex hace lege fieri
(34) oportebit, neiquis magistratus, prove magistratu, prove [*quo inperio potestateve*
d. 18. *erit*, *facito quo*] minus setiusve fiat iudiceturque (¹). Neive quis eum, quei ex
(200) hace lege iudicium exercebit (²), neive eum, que[*i ex hace lege iudex erit*, *neive*
eum, *quei ex h(ace) l(ege) petet*, *neive eum*, *unde petetur*, *quo die quemque eorum*
id iudicium exercere, *testiumve*, *quei in eam rem erunt*, *in eo iudicio verba audeire*,
LXXI. c.6. *in consilium eire*, *iudicare oportebit*, *ab eo iudicio avocato neive*]| avocarier iu-
e. 27. beto, neive ab|ducito, neive abducier iubeto, neive facito, quo quis eorum ad id
(41) d. 19. iudicium adesse poss[*it*, *quove quoi minus testium*, *quei erunt in eo iudici*]o, verba
audeire (³), in consilium eire, iudicare liceat. Neive iudicium dimittere iubeto ni-
(200) sei quom senatus [*iure vocabitur*, (litterae 86) *aut nisei quom centuriae ad sufra-*
gia ferenda intro vocabuntur, *extra quom sei quid in saturam feretur*, *aut nisei*
c. 7. e. 28. *quom*] tribus intro vocabuntur ex|tra quam sei qui in saturam feretur. §.

Impedimentum iudicio fieri primum potuit maleficiis privatorum. Ei rei in privatis quidem causis praetor prospexit propositis iudiciis in eum, qui in ius vocatum vi exemisse dolove malo fecisse dicatur, quo minus eximeretur, item in eum, per quem factum sit, quo minus quis vadimonium sistat (L. 3 § 1. 2. L. 4 § 2. L. 5 § 1-3 D ne quis eum [2, 7] L. 1 § 1-3. L. 3. pr. L. 5 § 1 D de eo per quem 2, 10). Publica iudicia turbulentis rebus et ad seditionem inflammato populo circum positis nonnunquam militibus tutari necesse fuit (Appian. de bell. civ. 2, 41. Ascon. in Milon. p. 41. Schol. Bob. in or. p. Mil. p. 276).

Deinde dimitti iudicium potuisse facta intercessione tribunicia ex narratione perspicitur, quae legitur in oratione pro Cluentio habita capite 27

(¹) Cf. v. IV. VI ‚ioudicatio-esto' Tab. Bant. 10 (C. I. Lat. p. 45) ‚*recuperatores-dato iubetoque eum — condumnari populo*, (11) *fa*|*citoque iudicetur*'.

(²) Cic. p. Arch. 12, 32 ‚*ea*, *iudices*, *a vobis spero esse in bonam partem accepta*; *ab eo*, *qui iudicium exercet*, *certo scio*'.

(³) Cf. v. XXXVII ‚utei testium quei in eam rem erunt, verba audiat'.

§ 74. Nam L. Quinctius, Oppianici patronus, ‚*cum esset eo tempore tribunus plebis, convicium C. Iunio, iudici quaestionis, maximum fecit, ut ne sine Staieno in consilium iretur: cumque id per viatores consulto negligentius agi videretur, ipse a publico iudicio ad privatum Staieni iudicium profectus est et illud pro potestate dimitti iussit: Staienum ipse ad subsellia adduxit.*' Nec minus Valerius Maximus (8, 1. abs. 3) C. Memmii accusatoris insolentia effectum esse refert, ut Laelius tribunus plebis approbantibus cunctis A. Gabinium, suffragiis populi subiectum, dimitti iuberet.

At enim neque a plebe seditiosa neque a tribunicia potestate caveri necesse fuit, si quidem ab utraque parte nihil metuendum videbatur ei iudicio, quod esset institutum adversus iniurias nobilitatis et senatorii ordinis. Nam si a tribuno plebis metuendum esset, ut in illa rogatione Clodiana ‚*Velitis iubeatis, ut M. Tullio aqua interdicatur*', ut in senatus consultis de provinciis consularibus a. u. 702 factis, quam belle prospici solebat ‚*ne quis legi intercederet*' (Cic. p. Sext. 15, 33), quam scite adiici senatus consulto ‚*senatum existimare neminem eorum qui potestatem habeant intercedendi, impediendi, moram afferre oportere, quo minus de re publica ad senatum referri, senatusque consultum fieri possit. qui impedierit, prohibuerit, eum senatum existimare contra rem publicam fecisse. Siquis huic senatus consulto intercesserit, senatui placere auctoritatem perscribi et de ea re ad senatum populumque referri*'! (Coel. ad Cic. 8, 8). Itaque defenditur iudicium adversus eos solos, a quibus solis periculum erat, magistratus dico senatorios, prove magistratibus, ne forte, si pari maioreve potestate essent, vocatione ductioneque abuterentur ad avocandos abducendosve homines ab eo iudicio, quod ex hac ipsa lege praetor exerceret. ‚*Consul*' enim ut ait Messala (apud Gellium 13, 16, 1) ‚*ab omnibus magistratibus et comitiatum et contionem auocare potest. Praetor et comitiatum et contionem usque quaque auocare potest, nisi a Consule. Minores magistratus nusquam nec comitiatum nec contionem avocare possunt*'. Cui vero comitiatum avocare licet, is multo magis avocare homines singulos potest, qui omnino debent adesse, iudicium ut recte fiat.

Excipiuntur tamen negotia maiora in senatu comitiisve peragenda. Comitialibus enim diebus ne senatum quidem haberi posse Cicero (ad Q. fratrem 2, 2 § 3 et 2, 13 § 3. ad fam. 1, 4 § 1) relata lege Pupia commemorat. Idem Coelius (ib. 8, 8 § 5) confirmat, addita ex senatus consulto

exceptione: *‚uti eius rei causa* — de provinciis enim consularibus agendum erat — *per dies comitiales senatum haberent senatusque consultum facerent'*. Neque aliud quippiam Caesar significat de bello civ. libro I, capite 5 his verbis: *‚quinque primis diebus, quibus senatus haberi potuit, qua ex die consulatum iniit Lentulus, biduo excepto comitiali — decernitur.* Item Dio Cassius XLV, 17, qui et ipse factam ex necessitate exceptionem commemorat: *βουλή τε ἐγένετο καὶ γνῶμαι ἐπὶ τρεῖς ἐφεξῆς ἡμέρας, ἀπ' αὐτῆς τῆς νουμηνίας ἀρξάμεναι, προσετέθησαν ἔκ τε γὰρ τοῦ πολέμου — ταρασσόμενοι, οὐδὲ τῆς ἀποφράδος, τὸ μὴ ἐν ἐκείναις βουλεῦσαί τι τῶν συμφερόντων σφίσιν, ἀπέσχοντο.*

Introvocandi verbum in privatis causis ad aedes referri solitum, velut apud Ciceronem (Verr. 2, 1, 26 *‚Cur ad nos filiam tuam non introvocari iubes?'*, in publicis causis ad septa vel ovilia trahitur, hoc est locum in campo Martio cancellis conclusum, quo tribus suffragiis ferendis ordine veniebant. Livius 10, 25: *Fabius nihil aliud precatus populum, quam ut prius quam intro vocarentur ad suffragium tribus, Ap. Claudii praetoris — litteras audirent* e. q. s.

Illud mirari non oportet, ante legem Caeciliam Didiam adiici potuisse exceptionis exceptionem *‚extra quam si quid per saturam feretur'*, nimirum *‚ne populo necesse sit in coniunctis rebus compluribus, aut id, quod nolit, accipere, aut id, quod velit, repudiare'*, quam rationem Ciceroa ffert in oratione quam pro domo sua ad pontifices habuit c. 20 § 53. Etenim Festus (p. 314) complura exempla exhibet lege Caecilia Didia antiquiora. *‚Satura'* inquit *‚lex (mul)tis ali(t)s legibus conferta. itaque in sanctione legum adscribitur: ‚neve per saturam abrogato aut derogato'. T. Annius Luscus in ea, quam dixit adversus Ti. Gracchum: ‚Imperium, quod plebes per saturam dederat, id abrogatum est' et C. Laelius in ea quam pro se dixit* (¹): *Dein postero die, quasi per saturam sententiis exquisitis in deditionem accipitur'*. Vtrumque exemplum ad Gracchorum tempora ascendit.

(Iudex deinceps faciat principe defuncto) (²).

Iudex deinceps faciat pr[*incipe defuncto.*

(¹) De hac oratione cf. Festus v. Obsidium p. 193, ubi haec habet: *‚C. Laelius pro se apud populum, ut ita nobis terra marique simul obsidium facerent'*.

(²) Scalptoris peccato legis versu LXXII°, laminae vero e versu 28°, rubrica haec excidit.

,Deincipem antiqui dicebant', teste Paulo Diacono p. 75 *proxime quemque captum, ut principem primum captum'*. Item p. 71 *,Deinceps, qui deinde coepit, ut princeps qui primum coepit'*. Et haec quidem ad rubricam pertinent. Sententiam bis per errorem scripti capitis Mommsenius ita restituit ut praeter finem, quod supplendum sit, nihil fere quidquam reliquerit. Quo addito clausula efficitur huius modi:

(44) Sei is praetor quei ex hace lege quaeret, sei[*ve is quaestor quoi aerarium*
Sei is praetor quei ex hace lege quaeret, seive is quaestor quoi aerarium]

d. 20. *vel urbana provinc*]ia obvenerit, *eo magistratu* (1) iudiciove inperiove abierit,
d. 27. vel urbana provincia obveoerit, eo magistratu iudiciove ioperiove abierit,

(200) abdicaverit mortuosve erit ante quam ea omnia ioudica[*ta soluta factave erunt,*
(201) abdicaveritv[*e mortuosve erit ante quam ea omnia ioudicata soluta factave erunt,*

quae eum praetorem eumve quaestarem ex h(ace) l(ege) iudicari iubere saloere
quae eum praetarem eumve quaestorem ex h(ace) l(ege) iudicari iubere solvere

LXXX. *facere oporteat: quei quomque deinceps practor ex h(ace) l(ege) quaeret, queive*
facere oporteat: quei quomque deinceps praetar ex hace lege quaeret, queive

quaestor aerarium vel urbanam provinciam habebit, is utei quod recte factum]
c. 15. (19) *quaestor aerarium vel urbanam*] provinciam babebit, is utei qu[*od recte factum*

LXXIII. c. 8. e. 29. } esse volet, facito: utei ea omnia, | quod ex bace lege factum oon erit, faciant,
e. 36. (92) *esse vo*]let, facito: utei ea omnia, [*quod ex hace lege factum non erit, faciant,*

(48) fiantque quae ex hace lege fieri oportere[*t*] sei [*apud eum, quei deinceps erit,*
d. 28. *fiantque quae ex hace lege fieri oporteret sei*] apud eum, *quei deinceps erit* (2),

d. 21. *ea res acta esset: deque ea re eiei*] praetori quaestorique omnium rerum, quod
ea res acta esset: deque ea re eiei praetori quaestor[*ique*] omnium rerum, quod

(200) ex hace lege factum ooo erit, siremps lex esto qua[*sei sei apud eum ea res acta*
(200) ex [*hace lege factum non erit, siremps lex esto quasei sei apud eum ea res acta*

esset: eicique praetari quaestorique apud quem ea res acta fuerit earum rerum
esset: eicique praetori quaestorique apud quem ea res acta fuerit earum rerum

amnium siremps lex esta quasei sei apud eum ea res acta non esset.
omnium siremps lex esta quasei sei apud eum ea res acta non esset.

Longum carmen in aliis legibus senatusque consultis et brevius expressum est et concinnius. In lege L. Papirii tr. pl. de sacramentis lata

(1) Verba: ,eo magistratu' omittuntur versu LXXII.

(2) Haec verba in lamina d. 28 excidisse videntur. Quod si verum est, ceteris operarii commissis novum errorem accessisse dicemus.

sancitum idem est his verbis: ‚*Qui cunque praetor post hac factus erit, qui inter cives ius dicet tres viros capitales populum rogato*' e. q. s. (cf. Festus v. Sacramentum p. 347). In lege quam T. Quinctius Crispinus consul de aquaeductibus rogavit ita cavetur: ‚*Quicunque curator aquarum est, erit, aut si curator aquarum nemo erit, tum is praetor, qui inter cives et peregrinos ius dicit, multa pignoribus cogito coercito*'. Et paulo inferius: ‚*Curatores aquarum, qui nunc sunt quique erunt, circa fontes — arbores — tollantur* — (faciunto)'. In senatus consulto a. u. 702 de consularibus provinciis facto M. Coelius missa ad Ciceronem epistola quae exstat inter epistolas libro 8, n. 8 haec fuisse refert ‚*Si quid ea re ad populum ad plebemve lato opus esset, uti Ser. Sulpicius, M. Marcellus Coss., praetores, tribunique plebis, quibus eorum videretur, ad populum plebemve referrent: quod ii non tulissent, uti quicumque deinceps essent ad populum plebemve ferrent*'.

De rebus iudicatis lege Calpurnia legeve Iunia.

LXXXI. *De rebus iudicatis lege Calpurnia legeve Iunia.*

Haec clausula compositis geminae scripturae reliquiis plenissime in integrum restitui potest in haec verba:

LXXIV. c.9. *Queibus quom ioudicium*] | fuit fuerilve ex lege quam L(ucius) Cal-
LXXXI. e.16. (18) *Queibus quom i|oud*]icium [*f*]uit [1] fueritve ex leg[*e quam L(ucius) Cal-*

e. 30. p|urnius L(ucii) f(ilius) tr(ibunus) pl(ebei) rogavit, exve lege, quam M(arcus)
e. 37. (97) *purnius L(ucii) f(ilius)*] tribunus plebei rogav[*it, exve lege, quam M(arcus)*

(48) Iunius D(ecimi) f(ilius) tr(ibunus) pl(ebei) rogavit, quei eorum eo [*ioudicio ex*
d. 29. *Iunius D(ecimi) f(ilius) tribunus plebei rogavit, quei eorum eo iudicio ex*

d. 22. *earum aliqua lege* [2] *condemnatus est eritve, quo*] magis de ea re eius
earum aliqua lege plebeivescito condem]natus est eritve, quo magis de ea re eius

(200) nomen hace lege deiuraturum [3] quove magistratus [4] de ra re quom [*eo h(ace)*
(200) nomen hace lege deferatur quove magis de e[*a re quom eo h(ace)*

[1] Io aere est: *evit.*

[2] Hic vox *plebeivescito* fortasse omissa fuit ab operario, quum in codice scripta esset.

[3] Scalptor, postquam in eo lapsus fueral, quod pro *deferatur* posueral *deiuratur*, propter ea, quae praecedunt, accusativum sequi oportere ratus, eo pervenit, ut vel *deiuraturum* efficeret.

[4] *Magistratus* verbum per compendium in lege scriptum esse sibi persuasisse videtur incisor imperitus.

l(ege) actio siet, eius h(ace) l(ege) n(ihilum) r(ogato). Queibus quomque iudicium
l(ege) actio siet, eius h(ace) i(ege) n(ihilum) r(ogato). Queibus quomque iudicium

fuit fueritve ex lege quam L(ucius) Calpurnius L(ucii) f(ilius) tr(ibunus) pl(ebei)
fuit fueritve ex iege quam L(ucius) Calpurnius L(ucii) f(ilius) tr(ibunus) pl(ebei)

rogavit, exve lege, quam M(arcus) Iunius D(ecimi) f(ilius) tr(ibunus) pl(ebei) ro-
rogavit, exve lege, quam M(arcus) Iunius D(ecimi) f(ilius) tr(ibunus) pl(ebei) ro-

gavit, quei eorum eo iudicio apsoluti sunt eruntve, nisei sei haec lex rogata fuerit
LXXXII. (6) c. 17. } *gavit, quei eorum eo iudicio apsoluti sunt eruntve, nisei sei haec lex rogat|a fueri]t*

LXXV.c.10. *ante quam ea res iudicata*] erit, quom eis haec lege actio nei esto.
(25) c. 38 extr. (102) } ante quam ea res [*iudicata erit, quom eis haec lege a*]ctio nei [*esto.*

Superiore capite lex in eum annum progressa fuerat, quo praetor quaestorve alius futurus erat. Quod enim praetoris edicto, cui finem afferunt Kalendae Ianuariae, fieri nullo modo licet, lege quo minus fiat, iuris ratio non est impedimento. Hoc capite in praeteritum tempus lex regreditur. Sane de iure civili si qua lex novi quid instituit, quae ante acta sunt rata esse patitur, neque in lege Voconia est ‚*fecit fecerit*'. Verum haec lex est de genere earum, quae eius rei, quae sua sponte scelerata ac nefaria fuit, quaestionem ad populum pertinere iubeant ex certo tempore. Eius generis leges praeteritum quoque tempus reprehendunt([1]), idque hac ipsa lege fieri, e versu LIX perspicitur, ubi illud etiam, quod ante legem rogatam captum sit, aestimari iubetur nec iam quaequam differentia est, nisi quod hoc quidem simpli duntaxat aestimari iubetur, quod vero post legem rogatam captum sit, dupli.

Quid tamen, si de ante factis sit lege Calpurnia aut lege Iunia iudicatum? Nimirum distinguit lex condemnatio fuerit subsecuta an absolutio. In condemnatione facta plane acquiescit. Absoluto autem reo excepit, si quidem perlata prius lex fuerit, quam sit absolutus reus, tum ut ex hac lege quaestio superesset. Eiusque differentiae ratio est, quod condemnatione facta, ne hac quidem lege pluris quam simpli lis aestimatur nec voluit lex merae vindictae et infamiae nomine iudicium fieri de re pecuniaria. Lege enim Calpurnia et Iunia condemnatis famam salvam esse Val. M. 6, 9. 10

([1]) Sunt enim duo genera legum eorumque generum maximam esse differentiam agnoscunt Cicero in Verrem Act. 2. lib. 1. cap. 42, § 108. 109. Q. Scaevola et P. Nigidius ap. Gell. N. A. 17, 7. § 1-4.

ostendit. Vide Zumptium de leg. et iud. rep. p. 13. Atqui de absolutione longe aliter est. Etenim absolutiones ex antiquioribus illis legibus fiebant facillime, ut ipse Gaius Gracchus exprobraret senatoribus recentissima maxime exempla, L. Aurelium Cottam et Manium Aquillium ex Asia repetundarum reum elapsos corruptis iudicibus ([1]). Eiusmodi igitur reos tunc certe repeti lex sinit si rogatio antecesserit absolutionem. Sin ante facta absolutio fuerit quam legem populus plebesve iusserit stari putat rebus iudicatis oportere. Neque enim abrogantur leges antiquiores, sed duriore lege utrique obrogatur, ut tamen non in perpetuum optio sit ex alia atque alia lege experiundi: nam illud, quod est in lege ,*fuit fueritve*' non omnia iudicia complectitur, quae posthac futura sint, sed ea solummodo, quae quum ante legem rogatam coepta sint, perlata ea nondum finem acceperint.

Sed Mommsenio video placuisse hoc loco illud primum cautum esse, ne de eadem re bis agatur, deinde praescriptum, ne lex trahatur ad praeterita. Itaque rubricam composuit ille: ,*de rebus ante iudicatis factisve*'. Verum de rebus factis necdum ante hanc legem rogatam in iudicium deductis supra v. 59 semel actum fuit. Plus arbitror: quod post Iuniam Calpurnia, post Aciliam Iunia lege *fieri* ex integro iudicium posse Mommsenius existimat quum coeptum antea non esset, id neque adiecto ad vocem *fuit fueritve* vocabulo effici, neque conveniens esse capiti primo, quo post hanc legem rogatam, nisi ex hac lege, nominis delatio quaestio iudicatio nulla est. Denique Mommsenius ne discrimen quidem admittit inter condemnationem et absolutionem lege Calpurnia Iuniave factam. Scribit enim v. 81 ,[*quei eorum eo ioudicio apsolutus vel condem*]natus est eritve' item v. 82 ,[*Queique contra hanc legem fecisse dicentur nisei lex rogata eri*]t ante quam ea res [*facta erit, quom eis haec lege a*]ctio nei [*esto*]. At de ea re disertis verbis caveri non fuit necesse, quum nemo possit videri contra eam legem fecisse, tum quae nondum esset.

([1]) Cf. Appianus de bell. civ. 1, 22. De L. Cotta vid. Cic. in Q. Caecil. Div. 21. Val. M. 8, 1. 11. Is a. u. 623 a P. Africano in iudicium vocatus, septies ampliatus, octavo iudicio absolutus fuerat.

c. 31. De praevaricatione. §.
De praevaricatione. §.

Huius etiam capitis, duplici scriptura coniuncta, sine magno labore effici sententia haec fere potest:

(50) Praetor, quei ex hace lege quaeret, qua de re ei prae[*tori eieisque*
Praetor, quei ex hace lege quaeret, qua de re (quis) ei praetori eieisque

ioudicibus quei eiei ex hace lege ad eam rem io]udicandam adfuerint, quei vivent
d. 30. *ioudicibus quei ei ex hace lege ad ea*]m rem ioudicandam adfuerit, quei vivent

(200) eorum, maiorei partis (1), satis factum erit, nomen quod ex [*hace lege praevarica-*
(200) eorum, maiori parti, satis fecerit e[*x hace lege nomen quod praevarica-*

tionis causa delatum exve reis exemptum fuisse: quo minus de ea re denuo quae-
tionis causa delatum exve reis exemptum fuisse: quo minus de ea re denuo quae-

rat, eamque rem ab eis iudicibus, quei ei ad rem iudicandam adfuerint, iudicari
rat, eamque rem ab eis iudicibus, quei ei ad rem iudicandam adfuerint, iudicari

litesque aestumari iubeat, eius hace lege nihilum rogato.
litesque aestumari iubeat, eius hace lege nihilum rogato.

Postquam superiore capite lex definierat, quando retractetur causa, quae sit iudicata lege Calpurnia legeve Iunia, ordinarium fuit statuere, numquis repeti reus possit, qui hac ipsa lege accusatus fuerit. Idque quum capite primo v. V tum fieri posse provisum generatim et universe esset, quum praevaricationis causa nomen delatum deve reis exemptum fuerit, superfuit, ut hoc capite speciatim definiretur, cui et quo pacto satisfieri antea comprobarive debeat, praevaricationem priore iudicio revera factam, causamque a corrupto accusatore proditam fuisse.

Iam igitur satis apparet fere de ea cognitione praevaricationis legem loqui, quae incidit si reus accusatori publico iudicio ideo praescribat, quod dicat ,*se eodem crimine ab alio accusatum et absolutum*', accusator vero de priore accusatore praevaricato replicare velit. Qua de re postea cautum fuit lege Iulia publicorum, ,*ut non prius accusetur quam de prioris accusatoris praevaricatione constiterit*', ut refert Macer L. 3 § 1 D de praevaricatione (47, 15). Alia causa est, si forte accusator a quopiam, ut exarmetur accusatio, ideo reus postuletur, quod dicat eum in alia causa prae-

(1) Sic perperam operarius, pro *parti.*

varicari. De qua specie est lege (ut ait Plinius Ep. III. 9: Iulia repetundarum nimirum, non publicorum) cautum ,*ut reus ante peragatur, tunc de praevaricatore quaeratur*', quia optime ex accusatione ipsa accusatoris fides aestimatur.

Sed aliud iudicium fit de iterata accusatione, aliud de praevaricatione.

Ac de iterata quidem accusatione quaerere iubetur is praetor, qui ex hac lege quaesiturus sit, cum eis iudicibus qui ei hac lege obvenerint quo tempore nomen iterum deferatur.

Atenim de prioris accusatoris praevaricatione quaestio quidem et ipsa datur praetori qui secundi, non qui prioris iudicii tempore fuerit: neque enim alterius cuiusquam praetoris quaestio esse potest, quam qui cum eo imperio potestateve nunc sit. Enimvero littera de ea re datur eisdem iudicibus, qui ei ,*ad eam rem iudicandam*' (1) hoc est ad prius iudicium iudicandum adfuerint. Neque enim de re se coram gesta arbitri et testes his inveniri poterunt oculatiores. Atque id necessario efficitur verbis ,*quei vivent eorum maiori parti*'. Non quasi sufficeret, ut in signatoribus testamentorum (L. 6 D test. quemadm. 29, 3, Paul. 3, 6, 1), maiorem partem acciri, debet enim nemo non arcessi, maiorque pars intellegitur eorum qui fuerint in consilium missi de praevaricatore. Verum fieri potest, ut inter prius et posterius iudicium morte intercepti sint unus et alter. Quo facto quemadmodum maiorem partem supra accipi vidimus eorum qui adsint, ita ne in hac quidem specie eorum intellegitur, qui debebant adesse si viverent, verum eorum qui vivent. Itaque post verbum ,*eorum*', non ante hoc verbum interpuncto opus est.

Sane hanc interpretationem adiuvat praevaricationis iudicium quod M. Coelius rettulit in illa epistula (ad fam. 8, 8) quam saepe laudavimus. C. Claudius Pulcher paulo post, quam Asiam anno u. c. 70 pro praetore rexerat, de pecuniis repetundis a M. Servilio Gemino postulatus (2), quamquam corrupto accusatore, damnatus nihilo minus fuerat litesque aestimatae erant. Mox defuncto Claudio, filius eius, Appius Claudius minor, patris ulciscendi causa, M. Servilium, quem Q. Pilius Celer necessarius Attici de

(1) ,*Ad eam rem iudicandam*' non ,*iudicatam*'. Potest enim ut ante absolutionem factam praevaricationis causa de reis nomen exemptum fuerit.

(2) Pausaniae, Lentuli Spintheris liberti, qui ex capite *Quo pecunia pervenisset* postulaturus Servilium fuerat, Laterensis praetor recepturum sese postulationem negaverat.

repetundis interim postulaverat, apud Iuventium Laterensem praetorem reum fecit, quod diceret pecuniam ex patris sui C. Claudii bonis pervenisse ad Servilium et praevaricationis causa depositum [1] esse *HS* LXXXI eamque pecuniam ob C. Claudium absolvendum datam, condemnato eo, tanquam quadam condictione causa data causa non secuta repetebat. Amentiam hanc suo iure admiratur M. Coelius, nam et patrem iure damnatum confitebatur Attius et eorundem iudicum consilio, qui patrem damnaverant, patris memoriam videbatur concredere. Praetor enim, sine dubio lege, quae de pecuniis repetundis tunc erat, ita iussus, ,*mittit in consilium eosdem illos, qui lites aestimarant, iudices*'. Ergo lex Iulia et ipsa praetori quidem de praevaricatione quaestionem dat, qui nunc est, iudicare vero illos iubet qui tunc fuerant.

Atque huiusmodi iudicium tum demum dubitationem haberet, si, qui leges scripserint, de praevaricatione ita sensissent, quemadmodum apud Ciceronem (or. part. 36, 124-126) accusator; iidem quum ita interpretati sint, ut apud eundem defensor, iam nullus labor est. Haec enim ille: ,*si in reo, pecunia absoluto, rursusque revocato, praevaricationem accusator esse definiat omnem iudicii corruptelam ab reo; defensor autem non omnem sed tantummodo accusatoris corruptelam ab reo: sit haec contentio prima verborum, in qua, etiamsi propius accedat ad consuetudinem mentemque sermonis defensoris definitio, tamen accusator sententia legis nititur: negat enim probari oportere, eos, qui leges scripserint, ratum habere iudicium, si totum corruptum sit; si unus accusator corruptus sit rescindere: nititur aequitate: ut illa quasi scribenda lex sic esset, quaeque tamen complecteretur in iudiciis corruptis, ea verbo uno praevaricationis comprehendisse dicitur: defensor autem testabitur consuetudinem sermonis, verbique vim ex contrario reperiet, quasi ex vero accusatore, cui contrarium est nomen praevaricatoris, ex consequentibus, quod ea littera de accusatore solet dari iudici; ex nomine ipso, quod significat eum, qui in contrariis causis, quasi varie esse positus videatur*'. Quo loco ex consequen-

(1) Nimirum apud sequestrem Cic. p. Cluent. 32, 87 ,*An ut praevaricaretur? Iam id quoque ad corrumpendum iudicium pertinet. Sed quid opus erat ad eam rem iudice* (Staieno) *sequestre? et — quamobrem tota ista res per Staienum potius, hominem ab utroque alienissimum — quam per bonum aliquem virum ageretur et amicum necessariumque communem?*'

tibus sic argumentatur defensor: de praevaricatione tabellam dari iudici, de corrupto iudicio non item, neminem enim posse in sua causa iudicem esse, ergo praevaricationem esse non omnem iudicii, sed solam accusatoris a reo corruptelam.

Vna in re Acilia lex multo est quam Iulia scripta diligentius. In illa enim est si *'maiori parti satisfactum erit nomen quod ex hac lege praevaricationis causa delatum exve reis exemptum esse,'* tum ut de praevaricatione constare videatur. Sequitur ut aequo numero sententiis absolvatur [1]. At vero in uno et centesimo capite legis Iuliae ita erat: *'Quod eorum iudicum maior pars iudicarit id ius ratumque esto'.* Ergo si aequo numero sententiae fuissent, neque absolutio rata esset, neque condemnatio: neutra enim profecta erat de maioris partis sententia. Itaque in illa causa M. Servilii *'cum aequo numero sententiae fuissent, Laterensis leges ignorans, pronuntiavit, quod singuli ordines iudicassent: et ad extremum ut solent: Non redigam. Postquam discessit et pro absoluto Servilius haberi coeptus, legisque unum et centesimum caput legit in quo ita erat: Quod eorum iudicum maior pars iudicarit id ius ratumque esto: in tabulas absolutum non rettulit, ordinum iudicia perscripsit - postulante rursus Appio, cum L. Lollio transegit et se relaturum dixit. Sic nunc neque absolutus neque damnatus Servilius de repetundis saucius Pilio tradetur (nam de divinatione Appius cum calumniam iurasset contendere ausus non est Pilioque cessit et ipse de pecuniis repetundis a Servilio est postulatus et praeterea de vi reus a quodam emissario suo, Titio, factus est. Recte hoc par habet'.*

LXXVI. c. 11. De ceivitate daoda. §.
LXXXIII. *De cei|vitate danda.* §.

Iam sequuntur praemia veri accusatoris, qui quum civis non esset, reum peregerit, itidem operarii oscitantia repetita. Compositis enim sanatisque reliquiis haec fere sententia apparitura est:

---

(1) Similiter in lege quam Quintilianus fingit (decl. 365) maior pars iudicum ad solam condemnationem trahitur, non etiam ad absolutionem. Ibi enim ita est *'Quod* (quam poenam) *maior pars iudicum statuerit.'* Cui legi satisfieri tentat Quintilianus, si inter septem iudices tres idem sentiant, dum reliqui inter se dissentiant. Non utique enim duas partes exigi, effici verbis 'Quod statuerit' non 'Vtrum statuerit'.

(1) c. 32. Sei quis eor[*u*]m, quei ceivis Romanus non erit, ex hace lege alterei no-
c. 18. (136) §. Sei q[*uis eorum, quei ceivis Romanus non erit, ex hace lege alterei no-*

(78) men [*ad eum praetorem, quei inter peregrinos ious deicet, seive quis ex*
men ad eum praetorem, quei inter peregrinos ious deicet, seive quis eorum ex

d. 24. *h(ace) l(ege) ad eum praeto*]rem, quoius ex hace lege quaestio erit, detolerit et is
d. 31. (5) *hace lege ad eum praetorem, quoius e*]x hace lege quaestio erit, detuler[*it et i*]s

(201) eo eo(¹) iudicio hace lege condemnatus erit, tu[*m eis quei ex hace lege alterei*
(218) eo ioudicio hace lege condemnatus erit, tum eis qu[*ei alterei*

nomen ad eum praetorem detolerit, quoius eorum opera maxima eum condemna-
nomen ad eum praetorem detolerit, quoius eorum opera maxima eum condemna-

tum esse ei praetori consilioque eius, maiorei parti eorum, satis factum erit, quei
tum esse ei praetori consilioque eius, maiorei parti eorum satis factum erit, quei

LXXVII. c. 12. *volet, ipse filiique suei, quei tum eiei gnateis erunt, quom*] ceivis Romanus ex hace
volet, ipse filieique suei, quei tum eiei gnateis erunt, quom ceivis Romanus ex h(ace)

(2) c. 33. lege fiet, nepotesque | [*tu*]m eiei filio gnateis (²) ceiveis Romanei iustei sunto
LXXXIV. c. 19 extr. (140) *l(ege) f*[*iet, nepotesque t*]um [*ei filio gnateis c(eiveis) R(omanei) iustei sunto*

(82) [*et in quam tribum quoius eis nomen detolerit, sufragium tulerit, censuerit, in*
et in qua tribu eis, quoius eis nomen detolerit, sufragium tulerit, censuerit, in

d. 25. *eam tribum sufragiu*]m ferunto inque ea[*m*] tribum censento, militiaeque eis vo-
d. 32. *ea tribu sufragium ferunto inque ea tribu censento, militiaeque ei*]s vo-

(201) catio (³) esto, aera stipeodiaque o[*mnia eis merita sunto* (⁴). *Nei qui magi-*
(6) catio esto, aera stipendia[*que eis*] omnia eis merita sunto. Nei qui magi-

stratus prove magistratu, prove quo inperio potestate erit facito, quo minus eis
(2) d. 32 (360) s[*tr*]atus pr[*ove magistratu, prove quo inperio potestate erit facito, quo minus eis*

(¹) In codice scriba posuisse videtur: *eo ioudicio:* operarius verbum *eo* male repetivit.

(²) ‚Gnatos' etiam lex Iulia appellasse videtur, minus accurate relata illa Paulo in L. 37 pr. cf. § 7 D de op. lib. (38, 1) Fr. Vat. 198.

(³) Plautus in Trin. 11 ‚*vocivas auris*', in Casinae prol. 29 ‚*aures vocivae*' scripsisse videtur. In Lege Iulia municipali est v. 93 ‚*aut ei vocat(i)o rei militaris legibus pl(ebei) ve se(itis) exve foedere erit, quocirca eum inveitum merere non oporteat*'. In oratione funebri aetatis Augustae (Orell. 4859) est: ‚*vocuamque* [*do*]*mum alterius fecunditati t(radidisti)*'. In Senecae ludo c. 11 legitur ‚*rerum iudicandarum vocationem dari*'. Contra in tabula Malacit. c. 64 ‚*in vacuom venalis*'. Itaque Veteres *vocuus*, *vocivus*, *vocatio* potius quam vacuus, vacivus, vacatio scripsisse videntur. Plura collegerunt quos laudat Mommsenius p. 70. 71.

(⁴) Varro rer. hum. lib. XX ap. Non. 345 (Merc.) ‚*Qui in ordine erat, is aes militare merebat*' Orelli. Henzen inscr. 3551. 3552. 5202. 6676. 6841. 6842. 6843.

in ea tribu sufragium ferant inque eam tribum censeant militiaeque eieis vocatio
in ea tribu sufragium feraut inque eam tribum censeant militioeque eieis vocatio

LXXVIII. c. 13. *siet idque quo minus ita fiat eius haec lege*] || nihilum rogato (¹). §.
siet idque quo minus ita fiat eius h(aec) l(ege) nihilum rogato. §.

Praemia nonnisi uni de accusatoribus atque ei quidem conceduntur, cuius opera maxima reus condemnatus fuerit, qua de re praeiudicio certari et pronuntiari poterat. Asconius in Milonianam p. 54: ‚*Damnatum autem opera maxima Appii Claudii* (*maiorisne*? an *minoris*? quaeri potest: nam ambo adolescentuli, iique illius C. Claudii filii, qui frater fuerat Clodii, patrui sui mortem, velut auctore fratre, persequebantur) *pronuntiatum est.* Senatusconsulto apud Frontinum de aquaeductibus cap. 127 provisum esse refertur ‚*Si quis adversus ea commiserit, in singulas res poena HS dena millia essent, ex quibus pars dimidia praemium accusatori daretur, cuius opera maxime convictus esset, qui adversus hoc s*(*enatus*) *c*(*onsultum*) *commisisset, pars autem dimidia in aerarium redigeretur: deque ea re iudicarent cognoscerentque curatores aquarum*'. In lege Mamilia capite quinto haec leguntur (in Gromatt. vett. p. 265) ‚*et si is unde ea pecunia petita erit condemnatus erit, eam pecuniam ab eo deve bonis eius primo quoque die exigito eiusque pecuniae quod receptum erit partem dimidiam ei dato cuius unius opera maxime is condemnatus erit, partem dimidiam in publicum redigito*'. In Digestis haec clausula nonnisi mutilata legitur. Nam apud Gaium L. 25 pr. § 1 D de S. C. Silan. (29, 5) haec tantum proferuntur: ‚*Lege Cornelia cavetur de praemio accusatoris ut in singulos servos, quos convicerit, quinque aureos ex bonis occisi, aut si inde redigi ea quantitas non possit ex publico accipiat*'. Ibidem § 1 *Praeterea cavetur ut .. ei qui convicerit, deni aurei praemii nomine darentur ex bonis damnati.* § 2 *Ex hoc edicto actio proficiscitur contra eum, qui adversus Edictum praetoris tabulas testamenti aperuisse dicetur. — Palam est autem actionem popularem esse, cuius poena in centum aureos ex bonis damnati extenditur: et inde partem dimidiam ei, cuius opera convictus erit, praemii nomine daturum praetor pollicetur, partem in publicum redacturum*'.

(¹) Cf. lex Antonia de Termensibus maioribus Pisidis a. u. 683 v. 29. 30 ubi ita scriptum est: ‚*et quo minus ea, quae in hoc capite scripta sunt, ita sint fiant, eius hoc lege nihilum rogatur.* Itaque perspicitur, ne ea quidem supervacanea esse, quae ultimo loco addidimus.

Constituuntur autem praemia pro condicione hominum. Nam et Ti. Claudius Caesar, observantissimus retinentissimusque antiqui moris princeps *'naves mercaturae causa fabricantibus commoda constituit pro condicione cuiusque, civi vacationem legis Papiae Poppaeae, Latino ius Quiritium, foeminis ius quatuor liberorum'*, eaque suo quoque tempore servari Suetonius in vita eius c. 19 auctor est. Ex eodem scriptore etiam senatori praemia dari potuisse intellegitur (Suet. Caes. 17).

Ac praemii quidem nomine in pecuniariis causis pecunia datur, in publicis servo, cui accusare non licet, praeter indicium libertas praestatur. (Cic. p. Rosc. Am. 37, 107. Liv. 2, 4. 5. Claudian IV cons. Honor. 612. L. 5 § 11 D de iniur. [47, 11] Tit. C. 7, 13 pro quibus causis servi pro praemio libertatem accipiunt.) Latini peregrinique accusatores civitate mutantur. Cum suis enim quisque filiis nepotibusque ex filio tum, id est condemnationis tempore, natis cives Romani iusti fiunt. Nam de postea natis caveri nihil attinuit: qui enim ex iustis nuptiis procreatus sit, is scilicet civis Romanus nascitur. '*Iustos*' autem lex appellat, ne forte et ipsi exterminentur lege M. Iunii Penni a. u. 628 lata [1], qui C. Gracchum agitaverat in tribunatu. De lege Penni exstant apud Festum pag. 286 ex ipsa C. Gracchi oratione haec verba: '*eae nationes cum aliis rebus per avaritiam atque stultitiam res publicas suas amiserunt*'. Iam ut verum non esse appareat, quod Huschkius (Gai. p. 4) ait, iusta an iniusta sit civitas, publico iure differentiam nullam esse eamque ad solam filiorum nepotumque ex iustis nuptiis procreatorum condicionem spectare: quasi vero de iustis liberis, non de iustis civibus lex locuta sit. Ceterum inter liberos ac nepotes ex iustis novorum civium nuptiis postea procreatos nescio an referendi sint quos a L. Cossinio Tiburti, damnato T. Caelio, a T. Coponio ex eadem civitate, damnato C. Massone, civibus Romanis factis, filium nepotesque summa virtute et dignitate relictos esse dicit Cicero p. Balbo c. 23, 53. Quo loco etiam Servilia lege idem praemium mansisse et ipse refert. Ait enim: '*Quod si acerbissima lege Servilia principes viri ac gravissimi et sapientissimi cives hanc Latinis, id est foederatis, viam ad civitatem populi iussu patere passi*

---

(1) Cic. de off. 3, 11, 47. Brut. cap. 28, 109. Quin etiam ante legem Iuniam Claudia lex a. u. 577 lata in suam quemque civitatem socios Latini nominis redegerat. Liv. 41, 8. 9.

sunt neque (ius) est hoc reprehensum Licinia et Mucia lege [1], *quum praesertim (nec) genus ipsum accusationis et nomen, (nec) eiusmodi praemium, quod nemo assequi posset nisi ex senatoris calamitate, neque senatori, neque bono cuiquam nimis iucundum esse posset — dubitandum fuit, quin, quo in genere iudicum praemia rata essent, in eodem imperatorum iudicia valerent? Num fundos igitur factos populos arbitramur aut Servilia lege aut ceteris quibus Latinis hominibus erat propositum aliqua ex re praemium civitatis?*' (ib. 24, 54). Quo loco quod ait ‚*iudicum praemia*', ea non sunt praemia iudicibus, sed accusatoribus proposita lege Servilia ceterisque quae linguae et ingenio foederatorum aditum ad civitatem patefecerant. Neque tamen iudices intellegendi sunt hi, qui lege Servilia de pecuniis repetundis, sed qui lege Papia de civitate iudicarent. A quibus multi in civitatem recepti ex liberis foederatisque erant liberati, nemo vero unquam est de civitate accusatus, quod populus fundus factus non esset legi Serviliae, autc eteris, quibus esset ‚*aliqua ex re*', hoc est ob alium quempiam reum peractum, praemium propositum civitatis (ib. 23, 54).

Suffragium ferre et ‚*censere*', (hoc est nomen, familiam praedia in censum deferre [2]) novi cives iubentur in ea tribu, qua moveatur ille, quem accusaverint, non tamen ad unum omnes utique in tribu Crustumina, id quod Huschkium (Gai. p. 6) statuisse video, quasi vero omnibus evenerit quod forte evenerat L. Cornelio Balbo, cui ut Cicero ait (p. Balb. 25, 57) ‚*obiectum est etiam, quod in tribum Crustuminam pervenerit; quod hic assecutus est legis de ambitu praemio* [3], *minus invidioso, quam qui legum praemiis praetoriam sententiam et praetextam togam consequuntur*'.

Militiae vacationem antiquitus ne praetoria quidem cohors habebat, in quam ‚*Scipio Africanus primus fortissimum quemque delegit, qui ab eo in bello non discederent et cetero munere militiae vacarent et sesquiplex stipendium acciperent*' (Festus p. 223). Nam ne coloni quidem maritimi

---

(1) Eam intellegit, qua a. u. 659 Q. Scaevola L. Crassus consules caverant ut in suae quisque civitatis ius socii redigerentur: Cic. fragm. Cornel. et ib. Ascon. p. 67. de off. 3, 11. 47. Brut. 16. Schol. Bob. ad Cic. p. Sestio p. 296.

(2) Cic. p. Flacc. 32 ‚*in qua tribu denique ista praedia censuisti?*' et paulo post: ‚*Si aliena censendo Decianus sua facere posset*'.

(3) Cf. Ascon. in Milon. p. 54. Cic. p. Cluent. 36, 98. Dio Cass. 40, 52. L. 1 § 2 D de L. Iul. amb. (48, 14).

impetrarunt a senatu, ut rei navalis vacatio esset (Liv. 36, 3). Neque sacrosanctam illam, quam suo quisque iure populi habebant, militiae vacationem omni tempore observatam esse constat (Liv. 29, 38). Nam et ceterae vacationes, si tumultum decerni placuisset, tolluntur omnes (Cic. Phil. 5, 12). Evenitque singulari beneficio, ut de exercitu C. Caesaris decernendum videretur: ‚*militibus veteranis — liberisque eorum militiae vacationem esse*' (ib. 5, 19, 53). Itaque illud praemium, quod linguae atque ingenio peregrini accusatoris hac ipsa lege proponitur, ut ei omnia aera stipendiaque merita sint, condemnatus stipendiis omnibus spolietur, plurimi aestimari oportere facile intellegitur.

De provocation[*e immunitat*]eque danda. §.
c. 34. *De vocatione immunitateque danda.* §.

In hoc capite in aes incidendo medium sermonem ab operario abruptum et post vocem ‚*ceivitate*' septem versus, qui praecesserant, de integro scriptos esse, supra significavi. Argumentum, quoad ex paucissimis reliquiis elicere et aliorum monumentorum auxilio coniecturis assequi potui, ita fere adornaverim:

(83) Sei quis eorum, quei [*ceivis Romanus non erit, nominis Latini erit,*
LXXXV. *Sei quis eorum*||, *quei c(eivis) R(omanus) non erit*,(1) *nominis Latini erit,*
d. 26. *quei eorum in sua quoiusque ceivitate dicta*]tor, praetor, aedilisve non
quei eorum in sua quoiusque ceivitate dict(ator), pr(aetor), aedilisve non
(201) fuerint, ad praetorem, quoius ex hace lege quaestio erit, [*ex hace lege*
fuerint, ad praetorem, quoius ex h(ace) l(ege) quaestio erit, ex h(ace) l(ege)
alterei nomen detolerit et is eo iudicio h(ace) l(ege) condemnatus erit, tum quei
d. 33. *alterei nomen detolerit et is eo iudicio h(ace) l(ege) condem*]natus erit, tum quei
eius nomen detolerit, quoius eorum opera maxima eum condemnatum esse ei
(6) (361) eiu[*s nomen*] detolerit, quoius eorum opera ma[*xima eum condemnatum esse ei*
praetori consilioque eius, maiorei parti eorum, satis factum erit, ei filiisque nepo-
praetori consilioque eius, maiorei parti eorum, satis factum erit, ei filiisque nepo-
c.14(14)c.35.*tibusque*] eius militiae muneris que poplici in su[*a quoiusque ceiv*]itate. §.(2)
tibusque eius militiae munerisque poplici in sua quoiusque ceivitate vacatio immunitasque hace lege esto.

(1) Spatiorum ratione tot fere litteras excidisse statuendum erat, quot secundo loco uncis includendas esse iudicavimus.

(2) Sequuntur in lammina e v. 35 verba: Iudex deinceps faciat pr[*incipe defuncto*], quae operarii incuria versu 72 omissa esse diximus.

LXXXVI. (Litterae 139.)

d. 34. *Sei quid ab eorum aliquo seive quid eorum quo*]i petetur, de ea re eius
(8) d. 34. (361) [*optio est*]o, utrum velit vel in sua ceivitat[*e vel in alia ceivitate, aliqua earum, quae semper in amicitia populi Romani manserunt, de ea re certare an in urbe Romae de ea re iudicium fieri.*

LXXXVII. (Litterae 198.)

Sei qua hereditas eis filiisve eorum obvenerit, eam iis ha]bere liceto. §.

Agi hoc capite de praemiis Latino peregrinove accusatori dandis, plus quam manifestum est.

Latini, qui proprios populos, (ut Gaius 1, 79 loquitur) propriasque civitates habebant, quantumvis licet peregrinorum numero haberentur, hoc tamen iure erant, ut, qui summum apud eos magistratum gessisset, is civitatem Romanam consequeretur. Idque ius aut plenius erat aut minus plenum. Ac plenissimum sane fuit veluti lege Flavia Salpensana. Nam ex ea lege non modo duumvir, verum etiam aedilis et quaestor ex eadem lege factus ‚*cum post annum magistratu abierint, cum parentibus coniugibusque ac liberis, qui legitumis nuptiis quaesiti in potestatem parentium fuerint*', civitatem Romanam consequebantur ‚*dum ne plures cives Romani essint quam quot ex hac lege magistratus creare oporteat*'. Hoc amplius: qui civitatem Romanam consequuntur, manent in eorundem potestate manu mancipioque et ius optandi tutoris item iura libertorum perinde retinent atque si civitate mutati mutatae non essent. Quae singula capitibus XXI. XXII. XXIII legis Flaviae Salpensanae significantur. Minus vero Latium idem ius dicitur, quum hi tantum, qui vel magistratum vel honorem gerunt, non etiam liberi coniugesque eorum civitate mutantur, idque compluribus epistulis principum significari Gaius (1, 96) auctor est. Neque tamen de differentiae ratione quidquam in perpetuum (ut vulgo creditur) statutum fuisse contendit, non enim regulam ille prolaturus erat sed exempla proposuisse satis habuit. Igitur pro condicione meritoque cuiusque civitatis aut plenius beneficium dabatur, aut angustius. Ceterum summum magistratum nonnullis in civitatibus, ut Ariciae, Fidenis, Lanuvii dictatores habebant, quosdam apud populos, ut apud Coranos, et Ferentinos praetores fiebant, in Arpinatum municipio praeter aediles magistratus creatos nullos esse, Cicero scribit (ad fam. 13, 11). Carnos etiam Catulosque per aedilitatis gradum in curiam

Tergestinorum admissos quamquam non proprie Latii iure (utpote adscripti coloniae civium Romanorum in tribu Pupinia), forma tamen atque ratione non absimili civitatem Romanam adipisci solitos esse ex decreto quod apud Orellium, numero 4040, idemque nunc Henzeni opera emendatius legitur numero 7168 signatum, vulgo notum est.

Atque hos omnes, dum magistratum gerunt, militiae vacationem omniumque rerum immunitatem magistratus sui iure habuisse necesse est(1). Etenim quo pacto aera stipendiaque mereat aliudque quippiam munus belli causa a populo Romano iniunctum faciat cui satis superque sit municipii sui rerum? Rursus quum magistratu post annum abierint, iamque cives Romani facti sint, ex sententia superioris capitis omnia aera stipendiaque eis merita erant. Itaque de eorum vacatione immunitateque caveri non attinuit, ideoque hoc capite iidem excipiuntur his verbis ‚*qui dictator, praetor, aedilisve non fuerit*'. Nulla tamen adiicitur filiorum nepotum parentum coniugumve mentio. Igitur *minoris* Latii illius, quod Gaius 1, 96 definit, exemplum hic apparet antiquissimum, quo confirmatur egregie, quam nuper proposui in quodam libello, cui inscribitur: De maiore ac minore Latio ad Gaium 1, 95. 96 disputatio critica (1860), p. 15. 17, de huius iuris origine opinatio.

Ceteri municipes, nisi sacrosanctam, ut coloniae maritimae, vacationem haberent, militiam munusve publicum Latii quidem iure sustinere debebant (2). De his igitur speciatim ut lege caveretur, necesse fuit. Verum quae eis beneficia dentur, valde quaeritur.

Atque rubrica sane quidem provocationis mentionem facit. Quum autem in ipsa lege de militia munereque publico agatur, cuius vacatio quidem usitatissima est (3), provocatio vero nulla datur, apparet, provocationem scalptoris, qui ‚*vacationem*' cum ‚*vocatione*', *vocationem*' cum ‚*provocatione*' confuderat, imperitiae potius quam latoris peritiae deberi. Nam quae tandem provocatio detur? Illane vero, quae Latino homini, quum magistratum

---

(1) L. 10 D de mun. (50, 4). L. 17 § 4. 5. L. 22 § 1 D de excus. tut. (27, 1). Druidum etiam vacatio immunitasque omnium rerum (*ἀτέλεια ἁπάντων*) apud Caesarem de bello Gall. 6, 13 commemoratur: ‚*Druides*, inquit, *militiae vacationem omniumque rerum habent immunitatem*'.

(2) Liv. 27, 38 Munus publicum accipi oportet frumentum, naves, utensilia sociis imperari solita: Liv. 8, 25. 26, 39. 28, 45. 35, 16. 36, 42. 42, 48.

(3) L. 6. L. 8 § 2. 3. L. 10 § 1 D de vacat. et excus. mun. (50, 5).

in sua civitate gesserit, auxilio foret, si quis forte eum verberibus affecerit, ut Marcellus illum Novocomensem in Caii Caesaris contumeliam? (1) At enim id genus provocationis iam fuit lege Sempronia, qua caverat Gracchus *‚ne de capite civium Romanorum iniussu populi iudicaretur'*, fuit pridem Porciis legibus et Valeriis. An vero de illo genere provocationis cogitemus, quod M. Fulvius Flaccus consul a. u. 629 sociis daturus erat *‚qui civitatem mutare voluissent'*, ut maiore civitatis devincti beneficio agrorum divisioni minus resisterent? (2) Verum ista provocatione opus non fuit ei quem lex compotem voti fecerat, quum superiore capite omnes, qui cives Romani non essent, cum filiis nepotibusque iustos iuberet esse cives Romanos.

Quodsi de provocatione hoc capite agi negandum est (3), quae tandem praemia Latino accusatori, qui in sua civitate magistratum non gesserit, peregrinove accusatori proposita esse dicemus?

Puto vacationem eamque pleniorem illam, qualis amicis populi Romani, liberis posterisque eorum (ad quos amicorum hospitumque necessitudines descendere nemo ignorat), foederibus dari tabulisque publicis incidi solebat (4).

‚Duo' enim, *‚genera'* ut ait Vlpianus (L. 13 § 1 D de vacat. mun. 50, 5) *tribuendae muneris publici vacationis sunt: unum plenius, cum et militiae datur; aliud exiguius, cum nudam muneris vacationem acceperint'*. Plenius (5) illud genus Paulus significat, quum munus dici refert *‚onus, quod, cum remittatur vacationem militiae munerisque praestat, inde immunitatem appellari'*.

---

(1) Appian. de bell. civ. 2, 26. Cic. ad Att. 5, 11. 2. *‚Marcellus foede de Comensi: etsi ille magistratum non gesserat, erat tamen Transpadanus'*.

(2) Appian. de bell. civ. 1, c. 21 *τοὺς συμμάχους ἅπαντας, οἳ δὴ περὶ τῆς γῆς μάλιστα ἀντέλεγον, εἰς τὴν Ῥωμαίων πολιτείαν ἀναγράψαι ὡς μείζονι χάριτι περὶ τῆς γῆς οὐ διοισομένους. Καὶ ἐδέχοντο ἄσμενοι τοῦθ' οἱ Ἰταλιῶται, προτιθέντες τῶν χωρίων τὴν πολιτείαν.* Ex his apparet, apud Valerium Maximum IX, 5. 1 qui Fulvium *‚de provocatione ad populum eorum, qui civitatem mutare voluissent'* perniciosam senatui legem tulisse refert, recte habere libros editos quum in codice manu scripto sit *‚noluissent'*. Neque enim his qui foederis sui aequitatem civitati Romani anteferrent, necesse erat provocationem ad populum Romanum dari. Sufficiebat, fundos factos non esse. Cic. p. Balb. 8, 21.

(3) Provocationi locum esse iam pridem recte, opinor, negavit Car. Tim. Zumptius (de legib. et iud. rep. [1845] p. 24 not. 1).

(4) Cic. ad fam. 12, 1 *‚tabulae figuntur, immunitates dantur'*.

(5) L. 18 D de V. S. (50, 16).

Itaque formandae huius capitis sententiae non inconvenienter senatusconsultum adhiberi posse existimavi, quod de Asclepiade sociisque qui bonam fidelemque populo Romano, bello Italico operam navaverant, a. u. 676 in comitio factum est hodieque partim latine partim graece scriptum exstat. (Mommsen. C. I. L. n. 203. p. 110 sq.) Est enim summa in utraque lege quum hominum tum praemiorum similitudo. Nam utrubique ad peregrinos etiam respici eisque immunitatem, iudicum electionem et alia complura beneficia dari manifestum est. Quamquam in eo differentia perspici potest, quod Latino nomini ex formula togatorum milites imperantur, exteri tributa pendunt, ideoque nulla his militiae vacatio sed solorum tributorum remissio dari potuit.

Quae quum ita sint, de immunitate interpretatio Graeca haec habet v. 12: ,*τὴν σύνκλ[η]τον κρίνειν: ὅπως οὗτοι, τέκνα, ἔκγονοί τε αὐτῶν, ἐν ταῖς ἑαυτῶν πατρίσιν ἀλειτούργητοι πάντων τῶν πραγμάτων [κ]αὶ ἀνείσφοροι ὦσιν· εἴ τινες εἰσφ[οραὶ] ἐκ τῶν* | (v. 13) *ὑπαρχόντων αὐτῶν εἰσπεπραγμέναι εἰσὶν μετὰ τὸ τούτους τῶν δημοσίων πραγμάτων τῶν ἡμετέρων χάρι[ν] ὁρμῆσαι, ὅπως αὗται αὐτοῖς ἀποδ[ο]θῶσιν, ἀποκατασταθῶσιν· εἴ τέ τινε[ς]* | (v. 14) *ἀγροὶ, οἰκίαι, ὑπάρχοντα αὐτῶν πέπρανται* (¹) *μετὰ τὸ ἐκ τῆς πατρίδος τῶν δημοσίων πραγμάτων τῶν ἡμετ[έ]ρων χάριν ὁρμῆσαι, ὅπως ταῦτα πάντα αὐτοῖς εἰς ἀκέραιον ἀποκαταστα* (v. 15)*θ[ῇ]*'.

De foro iudicibusque eligendis Latinum exemplar exstat Car. Sigonii primum opera refectum in haec verba: *Quaeque* | (v. 2) *ei, leiberei, posterei, uxoresve eorum ab altero persequentur seive quid*] ab eis leibereis postereis ux[*oribusve eorum aliei persequentur, utei eis leibereis (postereis) uxoribusve* | (v. 3) *eorum ius potestasque sit, seive domi legibus sueis velint iudi*]cio certare seive apud magistratus [*nostros Italicis iudicibus, seive in civitate libera* | (v. 4) *aliqua earum, quae semper in amicitia p*(*opuli*) *R*(*omani*) *manserunt*] utei velint, utei ibei iudicium de eis rebus fiat'. Interpretatio Graeca ita vertit: ,*ὅσα τε ἂν αὐτοὶ τέκνα ἔκγον[ο]ι γυναῖκέ[ς] τε αὐτῶν παρ' ἑτέρου μεταπορεύωνται, ἐάν τέ τι π*(v. 18)*αρ' αὐτῶν τέκνων ἐκγόνων γυναικῶν τε αὐτῶν ἕτεροι μεταπορεύωνται, ὅπως τούτων τέκνων (ἐκγόνων) γυναικῶν τε*

(¹) Tributorum causa pignora capi antiquitus distrahique potuisse titulus Codicis 10, 21 qui est ,*de capiendis et distrahendis pignoribus tributorum causa*' manifesto probat: privati creditores, nonnisi ut bona eorum, qui absentes boni viri arbitratu non defendantur, possidere sibi liceat, recte postulabant. Venditio autem in id tempus differtur, quo rei publicae causa abesse desierint L. 4 C de rest. mil. (2, 51).

αὐτῶν ἐξουσία καὶ αἵρεσις (ᾖ), ἐάν τε ἐν ταῖς πα|(v. 19)τρίσιν κατὰ τοὺς ἰδίους νόμους βούλωνται κρίνεσθαι ἢ ἐπὶ τῶν ἡμετέρων ἀρχόντων ἐπὶ Ἰταλικῶν κριτῶν, ἐάν τε ἐπὶ πόλεως ἐλευθέρας τῶν διὰ τέλους | (v. 20) ἐν τῇ φιλίᾳ τοῦ δήμου τοῦ Ῥωμαίων μεμενηκυιῶν, οὗ ἂν προαιρῶνται, ὅπως ἐκεῖ τὸ κρ[ι]τήριον περὶ τούτων τῶν πραγμάτων γίνηται'. Videtur novis civibus lege dari, quod ceteri pactione et stipulatione efficere debebant, qualem Cato (de R. R. c. 149) inter leges contractus rettulit: ‚*Si quid de iis rebus controversiae erit, Romae iudicium fiat*'. Quo revocanda est regula illa iuris antiqui, cuius in fori praescriptione mentio fit L. 29 C de pactis (2, 3): ‚*omnibus licere, his quae pro se introducta sunt renuntiare*'. Simul illud intellegitur, optione data, peregrinos ex hac lege accusatores meliore, quam Siculos iure fuisse. Hi enim perpetuo iure de eo quod civis cum cive eiusdem civitatis ageret domi certabant suis legibus, quod civis Romanus a Siculo peteret de eo Siculus iudex dabatur: quod Siculus a cive Romano, civis Romanus iudex fiebat. Haec enim et similia de Siculorum iure Cicero (in Verr. Act. 2. lib. 2. c. 13) disputat.

Quae iudicia facta iudicatave fuerint, quum Graeci illi socii reipublicae causa domo abessent ea instaurari et de integro iudicari placuit, his verbis: ‚Sei qua [*iudicia de eis absentibus postquam domo profectei sunt* | (5) *facta sunt, ea utei in integrum restitu*]antur et de integro iudicium ex s(enatus) c(onsulto) fiat.' Interpretatio ita vertit: ‚εἴ τινα κριτήρια (21) περὶ αὐτῶν ἀπόντων μετὰ τὸ ἐκ τῆς πατρίδος ὁρμῆσαι γεγονότα ἐστίν, ταῦτα ὅπως εἰς ἀκέ[ρ]αι[ον] ἀποκατασταθῇ καὶ ἐξ ἀκεραίου κριτήριον κατὰ | (22) τὸ τῆς συγκλήτου δόγμα γένηται'· §.

Actionis duplici via exire diem posse constat: una, si temporalis actio sit, velut honoraria, aut sponsoris et fidepromissoris obligatio, qui lege Furia biennio liberantur: altera, si absens actor ad vadimonium non occurrat. Itaque illo quidem modo actiones, hoc vero res periturae sunt. Differentiam et Livius observat (39, 8) quum ait ‚*fuga multis actiones et res peribant*' et senatus demonstrat his verbis: ‚εἴ τέ τις προθεσμία παρε[λ]ήλυθεν, ἀφ οὗ ἐκ τῆς πατρίδος τῶν δημοσίων πραγμάτων τῶν ἡμετέρων χάριν ὥρμησα[ν], μή τι τοῦτο τὸ πρᾶγμα αὐτοῖς βλαβερὸν γένηται | (16) μηδέ τι αὐτοῖς διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν ἔλασσον ὀ[φ]είληται, μηδέ τι ἔλασσον αὐτοῖς μεταπορεύεσθαι πράσσειν ἐξ[ῇ]' (¹). §.

(¹) Cf. L. 1 § 1. L. 21. p. D ex quib. caus. mai. (4, 6) L. 2 C. de rest. mil. (2, 51).

Neque vero actionis solum, verum etiam cretionis dies exire item bonorum possessionis omitti tempora potuerunt. Qua specie in integrum restitutio promittitur his verbis Latinis: ‚*quaeque hereditates eis*] leiberisve eor[*um obvenerunt, utei eas habeant possideant fruanturque*'; Graecis vero his: ‚*ὅσαι τε κληρονομίαι αὐτοῖς ἢ τοῖς τέκνοις αὐτῶν* (17) *παρεγένοντο, ὅπως ταῦτας ἔχωσιν, διακατέχω[σ]ιν, καρπεύωνταί τε* (¹)'. §.

Ac si quid praeterea de bonis eorum deminutum sit, veluti si quis usu suum fecerit, quodve ipsi non utendo amiserint, consecutus sit, ut ea quoque in integrum restituantur, et iuris rationi consentaneum est et exemplis confirmatur quam plurimis (²). Nam et lege Antonia quae de Termesibus maioribus Pisidis lata fuit atque de tribus millibus, quae fuerunt, foederum tabulis, praeter senatus consultum illud, sola hodie superest, (C. I. L. n. 204. p. 114. I, v. 12-35) diserte cautum fuit: v. 12 ‚Quei agrei quae loca aedificia publica preivatave (13) Thermensium maiorum Pisidarum intra fineis (14) eorum sunt fueruntve L. Marcio Sex. Iulio cos. (15) quaeque insulae eorum sunt fueruntve ieis (16) consolibus quei supra scriptei sunt, quodque (17) earum rerum ieis consulibus iei habuerunt (18) possederunt, us[*ei fructeique*] sunt, quae de ieis rebus (19) locatae non s[*unt* ‚*utei antea' habeant possideant*. - - -

v. 27 Quae Thermensorum m[*aioru*]m Pisidarum publica (28) preivatave praeter loca agros aedificia sunt (29) fueruntve ante bellum Mitridatis, quod preimum (30) factum est, quodque earum rerum iei antea (31) habuerunt possederunt usei fructeive sunt (32), quod eius ipsei sua voluntate ab se non abalienarunt (33) ea omnium Termensium maiorum Pisidarum utei sunt (34) fuerunt, ita sunto itemque ieis ea omnia (35) habere possidere utei frueique liceto'.

Qua de re quod scriptum est v. 87 ‚habere liceto' et ad hereditates et ad res tempore amissas recuperandas referre licet. ‚*Habere* enim, ut Paulus ait (L. 188 pr. D de V. S. 50, 16) *duobus modis dicitur altero iure dominii, altero obtinere sine interpellatione, quod quis emerit*'. Et (si Vlpiani verbis L. 143 D de V. S. [50, 16] fides erit) ‚*id apud se quis habere videtur de quo*

(¹) De re ipsa videsis L. 17 pr. § 1. L. 41 D ex q. c. mai. (4, 6) L. 1. 2. C. si ut omissam (2, 40).

(²) L. 1 § 1. L. 21 pr. D ex quib. caus. mai. (4, 6).

habet actionem, habetur autem quod peti potest'. Ad utram speciem Acilius respexerit, ex his quae supersunt, diiudicari minime potest.

(De praemiis civi Romano dandis.)

Ex hoc capite nihil superest praeter principium: ,*Sei quis cei*]vis Romanus ex bace lege alte[*rei nomen detolerit.* Ipsorum praemiorum mentio temporis iniuria intercepta est. M. tamen Cicero illo loco, quem ex eius oratione pro Cornelio Balbo (c. 25 § 57) allegavi, de ornamentis praetoriis ([1]) loquitur civi Romano accusatori concessis, eosque ,*qui legum praemiis praetoriam sententiam et praetextam togam consequuntur*', opponit eis, qui legis de ambitu praemio minus invidioso in condemnati tribum pervenerint, iam ut praemia illa invidiosiora ad nullam aliam quam repetundarum legem revocanda esse videantur.

Quae si recte a nobis disputata sunt, capitis sententia haec erit:

(362) *Sei quis cei*]vis Romanus ex bace lege alte[*rei nomen detolerit et is eo iudicio hace lege condemnatus erit, tum quei eius nomen detolerint, quaius eorum opera maxima eum condemnatum esse praetori quei ex haec lege quaeret eiusque consilio, maiori parti eorum, constiterit, ei in senatu inter praetorios sententiam dicere togamque praetextam palam luci habere liceto.* (litt. 97.)

De eo, qui notatur infamia, in tabula ahenea, quae Bantiae reperta fuit, (C. I. L. n. 197. p. 45) ita cautum est: v. 4 ,Neive is in poplico luuci praetextam neive soleas h*abet*o neive quis | (v. 5) *mag(istratus) ibei praetextam soleasve habere eum sinit*o'.

Hac ratione ex spoliis condemnati peregrino Latinoque accusatori civitatem tribum stipendia, civi Romano, qui rem publicam a nefario magistratu liberaverit, etiam honorem eius lege concessum esse intellegitur. Potest tamen, ut civi Romano militiae vacatio et alia id genus praemia perinde ac Latino data sint. Certe quidem P. Vatienum, qui regem Persen captum senatui nuntiavit, et agro a senatu et vacatione donatum Cicero tradit (de N. D. 2, 2. 6): neque longe diversum est quod de concedendis P. Aebutio et Hispalae Feceniae praemiis ,quod eorum opera indicata Bacchanalia essent' senatusconsultum factum Livius (39, 19) rettulit: ,*Vt singulis his centena*

([1]) De ornamentis consularibus et praetoriis vide Ciceronis orat. in Pisonem 10, 23. Tac. Ann. 12, 21. Plinii Ep. 7, 29. Orelli inscr. n. 773. 798. 800. 801.

millia aeris quaestores urbani ex aerario darent, utique consul cum tribunis plebis ageret, ut ad plebem primo quoque tempore ferrent, ut P. Aebutio emerita stipendia essent, ne invitus militaret, neve censor ei equum publicum assignaret'.

Ex tribus ultimis versibus (LXXXVIII - XC) nonnisi haec supersunt. Primo loco initium capitis

LXXXVIII. d. 36. | §. Quoi ex ha[*ce lege militiae va*]catio erit, esseve oportebit.

Deinde post lacunam litterarum 417 ex sequente versu exstant verba:

d. 37. *Praetor, quei inter per*]egrinos ious [*deicet.*

Ex ultimo denique versu post hiatum litterarum 424 superstites in extrema ora lamellae reliquias vocis

d. 38. *ceivit*]atei

agnoscere mihi videor. Quae si inter se cohaerent, communia de vacatione ad effectum perducenda in hoc capite proposita fuisse dissimile veri non est. Certam tamen de ea re coniecturam capere per miserrimam orae condicionem non licet.

Post praemia accusatorum tametsi praeter sanctionem haudquaquam magna pars legis temporis iniuria intercepta esse videtur, poenas tamen quadruplatorum, qui ex hac lege pecuniam ceperint, calumniatorumque, qui reum non peregerint, vix statui potest hoc loco praetermissas esse. Nisi quis dixerit, de calumnia satis cautum videri iureiurando, quod versu XIX praescriptum esse vidimus. Nam si iusiurandum de calumnia exactum fuerit, iudicium de eadem re nullum datur (Gai. 4, 176. 179). Sed quod in privatis iudiciis iuris est, non statim ad publica iudicia trahendum est. Id enim fere coniici posse videtur ex fragmento Florentino legis cuiusdam, quam quum Iuliam repetundarum Klenzius (prol. pag. IV) esse credidisset, Mommsenius (inscr. n. 207) ad aetatem Gracchanam vel non multo posteriorem revocavit. Ibi enim haec exstant:

1 *p*]ronontiat[o
2 scripta . sunt . an[*te*
3 *quem* .]eorum . quosve . is . p[*r*(*aetor*
4 *p*]equniam . ceperit . cal[*umniae*
5 *pequniam* .]ceperit . quoive . eius . qu[*ei*
6 *tabula . corrupt*]a . erit . literaive . testium . [*corruptae . erunt*

7 *sei.is.unde.petetur.ex.reis.e*]xemptus.erit.quei.ab.eo.[*pequniam.petierit*
8 *dare . damn*]as.esto.eiusque.pequnia[*e.quei.volet.petitio.*
h(*ace*)*.lege.esto*
9 *sei . ea . pecunia .*]quam.ex.h(ace).l(ege).sibei.deica[*t.darei.*
oportere.soluta.non.erit
10 *is . pr*(*aetor*) .]facito . utei . is . eam . pequ[*niam*
11 *ut*]ei.ex.h(ace).l(ege).oportebit.quod.e(?)[*ius*
12 *apud*.]pr(aetorem) . h(ace) . l(ege) . a(g)etur . non .
sit . a?
13 *eum . quei . petet . e*]t . eum . unde . petetur . e[*x . hace . lege*
14 *p*]etiverit . condemnet[*ur*
15 *i*]n . iudiciu[*m*

Ac certe quarto versu ea elementi extremi vestigia agnovisse se refert Mommsenius quae de calumniae iudicio et per hoc de ceteris dubitationem non relinquant.

Quum mea tum operarum culpa errores aliquot in ea quae adhuc disputata sunt, irrepsere. Quo de genere est ,*quidpiam*' verbum p. 418 versu 32°, ubi ,*quidquam*' fieri debebat, ,*procederet*' p. 452, 17, ,*attingat*' p. 452, 34, ,*caderet*' p. 481, 22, quibus locis ,*procedit*', ,*attinget*', ,*cadit*' typis exprimendum erat. Eis, ut levioribus, et si forte quippiam eiusdem notae praetermissum est, benevolum lectorem ignosciturum fore speramus. Maioris momenti sunt quae in ipsa legis verba commissa esse doleo. Quo referendum erit, quod in indice capitum, qui paginis 415ᵃ, 416ᵃ et 417ᵃ continetur, unci non nunquam suis locis positi non sunt, item quod capite ,de patrono repudiando' p. 441, 15. 16 *eo*]rum pro *eor*]um, v[*olet* pro *volet* typis expressum est, quodque hiatus litterarum 106 ita proponitur, tanquam pars eius superstes esset, quum deberet totus locus aequabiliter ita formari: *volet dato. Quemque ita p*(*raetor*) *patronum dederit, is eodem iure esto, quo fuerit is, quem pr*(*aetor*) *ex h*(*ace*) *l*(*ege*) *repudiaverit.* Accedit hiatus p. 451, 27 nullo iure relictus, accedit p. 457, 1 numerus XXXIX, ubi XXIX, nec non p. 461, 8 ,in[*roganda*', ubi ,inro[*ganda*' fieri debebat. Item p. 511, 14 inter ,eorum' et ,ad id' verbum ,minus' temere omissum et p. 511, 19 ,qui' pro ,quid' male expressum est. Mittam reliqua. Sed eo magis faciendum putavi, ut quae adhuc singillatim exposita sunt, ea nunc composita et emendata in unum corpus contraherentur. Quo facto iam ultimo loco procedunt:

LEGIS ACILIAE REPETVNDARVM QVAE SVPERSVNT, IN INTEGRVM, QVOAD EIVS FIERI POTVIT, RESTITVTA.

I. (120) M' Acilius Glabrio . . f(ilius) tr(ibunus) pl(ebei) plebem iure rogavit, plebesque
iure scivit in . . . . . a(nte) d(iem) . . . . Tribus . . . . . . principium fuit, pro
tribu . . . . . . us . . f(ilius) primus scivit.

b. 1. Quoi ceivi Romano sociumve no]minisve Latini exterarumve nationum, quoive
(245) in arbitratu dicione potestate amicitiav[e populei Romanei ante hance legem rogatam,
II. quoive ceivi Romano sociumve nominisve Latin|i exterarumve nationum, quoive in arbi-
tratu dicione potestate amicitiave populei Romanei post hance legem rogatam ab eorum
aliquo, quei dic(tator), co(n)s(ul), pr(aetor), mag(ister) e(quitum), cens(or), aid(ilis),
tr(ibunus) pl(ebei), q(uaestor), III vir cap(italis), III vir a(gris) d(andis) a(dsignan-
b. 2. dis) tribunus mi]l(itum) l(egionibus) IIII primis aliqua earum fuerit, queive filius
eorum quoius erit, [queive] quoius[ve] pater senator siet, in anuos singolos pequ-
(270) nise quod siet amp[lius HS . . n(ummum) pro magistratu potestate inperio cura-
III. tione, praeterquam ab eo, quei ei|ei sobrinus siet, propiusve eum ea cognatione
atingat et praeter quam ad templum monumentumve faciendum, ipsi ceiveive suo,
regive populove parentive suo, queive in potestate manu mancipiove suo parentisve
b. 3. suei siet fueritve, quo]ive ipse paren[s]ve suos filiusve suos heres siet, ablatum
captum coactum conciliatum avorsumve siet, de ea re eius petitio nominisque de-
(301) latio esto, [pr(aetoris) quaestio esto, ioudicium ioudicatio leitisque aestumatio quei-
quomque ioudicium ex h(ace) l(ege) erunt, eorum h(ace) l(ege) esto.
IV. Quae pequnia | post h(ance) l(egem) rogatam petetur, quod de ea re ioudicium
factum erit, sei is, quei eam rem petet, eiei praetori, quei de ea re ex h(ace) l(ege)
quaeret, satis fecerit, id ioudicium ita factum non esse utei de ea pequnia ex hace
b. 4. lege ioudicium fieri oporteret, neque ita factu]m esse, utei peteret, de ea re eius
petitio nomioisque delatio esto, pr(aetoris) quaestio esto, ioudicium ioodicatio leitis-
(164) que aestumatio quei quomque ioudic[ium ex h(ace) l(ege) erunt, eorum h(ace)
l(ege) esto.
Vnde ex h(ace) l(ege) petitum, quoiusve nomen delatum erit, quod is pro
V. magistratu inperio potestate | curatione in annos singolos, quod siet amplius HS . .
a. 1. n(ummum) cepisse deicetur, quod eiu]s iu[dicio petitum erit, quod iudicium ex hace
(140) lege datum factumve siet, quoius nomen ex reis exemptum erit quod is quei de
b. 5. ea re nomen detolerit, ante mortuos siet, quam ea res iud]icata erit, aut quoius
uomen praevaricatiouis causa delatum erit, aut quoium uomen ex h(ace) l(ege) ex
(162) reis exemptum erit, seiquis eius oomen a[mplius deferre volet, de ea re eius petitio
nominisque delatio esto, quaestio eius pr(aetoris) esto, iudicium ioudicatio leitisque
VI. |aestumatio quei quomque iudicium ex h(ace) l(ege) erunt, eorum h(ace) l(ege) esto.

a. 2. *Sei quis ali*]eno oomio[*e pequniae quod siet amplius HS ablatum captum*
(134) *coactum conciliatum avoreumve ex h(ace) l(ege) petere nomenve deferre volet, de*
b. 6. *ea re eius petitio nominisque delatio esto*], quaestio eius pr(aetoris) esto, ioudiciu[*m*]
ioodicatio litisque aestomatio quei quomque ioudicium ex h(ace) l(ege) erunt, eorum
h(ace) l(ege) esto.

(161) Is eum, nnde petet, in ious ed[*ucito ad iudicem, in eum annum quei ex*
h(ace) l(ege) factus erit, ante kalendas Septembres, quae |*eo anno erunt, eiusque*
VII. *nomen deferto. Quoi*|*um nomen post kal(endas) Sept(embres) delatum erit, de eo*
a. 3. *homine pr(aetor) recuperatores .. dato*] deque eo homine de[*ve eieis hominibus*
(127) *testibus d(um) t(axat) .. testimonium poplice denontiandi potestatem facito eosque*
b. 7. *recuperatores in diebus .. eam rem iudicare iubeto. Qu*]oins eorum ita oomen ex
h(aee) l(ege) post k(alendas) [S]ept(embres), quae eo anno fuerint, delatum erit,
(156) quei eorum eo ioodicio condemnatus erit, quanti eios rei slis ae[*stumata erit, tan-*
VIII. *tam pequniam privato privatisve, quoius ex h(ace) l(ege) slis aestumata e*|*rit, d(are)*
d(amnas) e(sto). Quaeque pequnia eo nomine quoique eorum soluta erit, ea pe-
a. 4. *quni*]a eius esto. Pr(aetor) quei ex h(ace) l(ege) q[*uaeret, facito, utei quod de*
(124) *bonis eius eorumve redactum erit, id inter privatos, quorum lites aestumatae erunt,*
b. 8. *pro portioni tribuatur, quodque tributu*]m erit, id utei privato solvatur, quei eorum
petet. §.

De heisee, dom mag(istratom) aot inperiom habebuot, ioudicinm noo fiet. §.

(154.) Dic(tator), co(n)s(nl), pr(aetor), magi(ster) eq(nitum) [*cens(or), aid(ilis), tr(ibu-*
nus) pl(ebei), q(uaestor), III *vir cap(italis),* III *vir a(gris) d(andis) a(dsignandis),*
trib(unus) mil(itum) leg(ionibus) IIII *primis aliqua earum, dum mag(istratum) aut*
IX. *inperium habebit, de eis h(ace) l(ege) ioudicium*|*nei esto, aut quoium nomen dela-*
a. 5. *tum siet, pr(aetor) ex reis eximito. Quei eorum e*]x eo mag(istratu) inperiove
(121.) abierit, qoo min[*us praetor quei ex h(ace) l(ege) quaeret eius nomen recipiat deque*
eo ioudicium ex h(ace) l(ege) faciat e(ius) h(ace) l(ege) n(ihilum) r(ogato).

De patroneis dandeis.

b. 9. *Quei ex h(ace)*] l(ege) pequniam petet nomenque detuler[*it*], quoius eorum ex
h(ace) l(ege) ante k(alendas) Sept(embres) petitio erit, sei eis volet sibei patrnnos
(149) in eam rem darei, pr(aetor), sd quem [*de ea re aditum erit, patronos eiei dato dum*
taxat quatuor, quoiusque eorum patronorum maxime intererit reum condemnari,
X. a. 6. *eum*| *actorem constituito, ceteri subscribant facito, dum*] nei quem eorum det sciens
(120) d(olo) m(alo), quoiei is, q[*uoius nomen delatum erit, gener, socer, vitricus privi-*
b. 10. *gnus siet, queive eiei sobrinus siet pro*]piusve eum ea cognatione at[*t*]igat, queive
[*ei*]ei sodalis siet, queive in eodem conlegio siet, qooiave io fide is erit maioresve in maio-
(141) rum fide fueri[*n*]t, [*queive in fide eius erit quoiusve maiores in maiorum fide fuerint,*
XI. *queive ab eo, quom servisset, se liberaverit, quoiusve maio*|*res ab eo eiusve maioribus se li-*
a.7.(118) *beraverint, queive*] quaestion[*e*] ioudicio[*q*]ne puplico condemnatn[*s siet quod circa eum*
b. 11. *in senatum legi non liceat, queive ei praetori quaestor fuerit, neive eum qu*]ei ex h(ace)
l(ege) ioudex in eam rem erit, oeive enm que[*i e*]x h(aee) l(ege) patronus datus erit. §.

De patrooo repodiando. §.

(140) Quei ex b(ace) l(ege) patronus datus erit, sei is mori[*bus suspectus esse di-*
cetur, de ea re praetori, quei ex h(ace) l(ege) quaeret, engnoscere eumque patronum
XII. *repudiare ius esto. Tum in eius* | *locum, quos ex h(ace) l(ege) in eam rem patronos*
a. 8. *dare licet, eor*]um pr(aetor), quei ex h(ace) l(ege) quaeret, alium patronum eiei
(106) quem [*volet dato. Quemque ita p(raetor) potronum dederit, is eodem iure esto,*
quo fuerit is, quem pr(aetor) ex h(ace) l(ege) repudiaverit.

b. 12. *De CDL vireis in hune an*]oum leguodis §.

Pr(aetor), quei ioter peregrinos ious deicet, is in diebus X proxum(eis),
quibus h(ance) l(egem) popnlus plebesve iouserit, facito, ntei CDL viros ita legat:
(137) quei in hac ceivit[*ate sestertium quadringentorum milium nummum suprave eum*
censum census siet fueritve, dum nequem eorum legat, quei tr(ibunus) pl(ebei)
XIII. *q(uaestor) III vir eap(italis)* | *tr(ibunus) mil(itum) l(egionibus) IIII primis aliqua*
a. 9. *earum, triumvi*]rum a(gris) d(andis) a(dsignandis) siet fueritve, queive in senatu
(104) siet fuerin[*tve*], queiv[*ve mereede constituta depugnavit depugnaverit artemve lu-*
b. 13. *dicram fecit fecerit, queive ioudicio puplico in urbem Romam eonde*]moatus siet,
quod circa eum iosenatum legei non liceat, queive minor anneis XXX maiorve annos
(135) LX gnatus siet, queive in urbem Romam propiusve u[*rbem Romam p(assus) M*
non habitet, queive eius mag(istratus), quei s(upra) s(criptus) est, pater, frater
XIV. *filiusve siet, queive eius, quei insenatu sie*|*t fueritve pater frater filiusve siet, queive*
a. 10. *trans mar*]e erit.

Qnos legerit, eos, patrem, tribom eogoomenque i[*n*]dieet.

(100) Q[*uei in hunc annum inter peregrinos ious deicet, is die . . post quam ex h(ace)*
b. 14. *l(ege) in eum annum CDL viros legerit, eorum omnium, quei ex*] h(ace) l(ege)
CDL vireis in eum annum lectei erunt, ea nomina omnia io tabula in albo atra-
(133) mento script[*o*]s patrem, tribum, cognomeoque tributimque d[*i*]scriptos hab[*eto*
eosque propositos euo magistratu, ubei de plano recte legi possitur, habeto. Sei
XV. *quis describere volet, pr(aetor) permittita po*|*testotemque scribundi quei volet facito.*
a. 11. *Pr(aetor) quei legerit, eos, quos e*]x h(ace) l(ege) CDL viros legerit, facito reci-
(100) teotur in contione, iuratoque: ,sese [*eos ex h(ace) l(ege) legise, de quibus sibei*
consultum siet optumos in eam rem ioudices futuros esse quosque ipse optumos
b. 15. *in eam rem io*]udices exaestumaverit esse'. Eosque CDL viros, quos ex h(ace)
l(ege) legerit, is pr(aetor) omnis in taboleis puplicis scriptos in perpetoo habetn. §.

(129) De CDL vireis qootannis [*legundis.*

Praetor, quei post ea quam hance legem populus plebesve iouserit ex h(ace)
XVI. *l(ege) quotannis foctus ereatusve erit is in diebu*|*s X proxum(eis) quibus eo*
a. 12 *anno quis*]que eorum enm mag(istratum) coiperit, facito utei CDL viros ita legat:
(90) quei ha[*cin eeivitate sestertium quadringentorum milium nummum suprave eum*
b. 16. *censum census siet fueritve, d*]um nequem eorum legat, quei tr(ibunus) pl(ebei)
q(uaestor) III vir cap(italis) tr(ibuous) mil(itum) l(egiooibus) IIII primis aliqua
earum, triumvir a(gris) d(andis) a(dsignandis) siet fueritve, queive io senatn siet

(128) fueritve, queive merc[*ede constituta depugnavit depugnaverit artemve ludicram fecit*
XVII. *fecerit, queive ioudicio puplico Romae condemn|atus siet, queive minor anneis*
a. 13. *XXX maiorve o*]uuos LX gnatus siet, queive iu urbe Romae propiusve urbe(m)
(90) Roma[*m p(assus) M non habitet, queive eius mag(istratus), quei supra scriptus*
b. 17. *est pater frater filiusve siet,*] queive eiua quei insenatu siet fueritve pater frater
filiusve siêt, queive trans mare erit.

Quus legerit, eos, patrem, tribum, coguomeuque i[*n*]dicet.

(129) Quei ex h(ace l(ege) iu eu[*m annum quaeret, is die . . post quam ex h(ace)*
l(ege) in eum onnum CDL viros legerit, eorum omnium, quei ex h(ace) l(ege)
XVIII. *CDL vireis in eum onnum lectei erunt, ea nomina omnia in tabulo| in albo otra-*
a. 14. *mento scriptos patr*]em, tribu[*m*] cognomenque tributimque discriptos habeto
(85) eosque propositos suo ma[*gistratu, ubei de plano recte legi possitur, habeto. Sei*
b. 18. *quis describere volet, pr(aetor) permittito potestatem*]que scribundi quei volet facitu.
Pr(aetur) quei legerit, eos, quos ex h(ace) l(ege) CDL viros legeri[*t*] facito in
conctiune recitentur, iuuratoque sese eos ex h(ace) l(ege) legiae, de quibus sibei
(130) consu[*ltum siet optumos in eam rem ioudices futuros esse quosque ipse optumos*
XIX. a. 15. } *in eam rem ioudices exaestumaverit esse. Eosque CDL|viros, quos ex h(ace)*
l(ege) legerit, is pr(aetor) omnis in taboleis puplicis scriptos in perpetuo habeto.] §.

De uomine deferuodo iudieibusque legundeis. §.

(82) Quei ex h(ace) l(ege) pequuiam ab a[*liquo eorum petet de quibus h(ac) l(ege)*
b. 19. *ioudicium fiet, is eum, unde petet, post ea quam ex h(ace) l(ege) CDL vireis in*
